MASTER
NEGATIVE
NO. 93-81277-11

AUTHOR:

CICERO, MARCUS TULLIUS

TITLE:

ORATIO PRO P. SESTIO, CUM VARIETATE...

PLACE:

TURICI

DATE:

1834

Master Negative #
93-81277-11

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

87CN2 ~~Orationes.~~ Sestius 1834
DZ6 Cicero, Marcus Tullius.
...Oratio pro P. Sestio, cum varietate Ascensianae secundae, Ascensianae tertiae, Hervagianae, Naucerianae, Ernestianae et Madvigii emendationibus in usum lectionum edita ab Io. Casp. Orellio.
Turici, ex officina Gessneriana, 1834.
viii, 40 p. 23 x 18½ cm.

Volume of pamphlets

76082

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm
REDUCTION RATIO: 12X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 4-13-93
INITIALS JAMES
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6 6.3

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

INDEX LECTIONUM

IN

ACADEMIA TURICENSI

INDE

A DIE XVII. MENSIS OCTOBRIS M. DCCC. XXXIV

USQUE

AD DIEM XX. MENSIS MARTII M. DCCC. XXXV.

HABENDARUM.

INEST

M. TULLI CICERONIS ORATIO PRO P. SESTIO

CUM VARIETATE ASCENSIANAE SECUNDAE, ASCENSIANAE TERTIAE, HERVAGIANAE, NAUCERIANAE, ERNESTIANAE ET MADVIGII EMENDATIONIBUS IN USUM LECTIONUM EDITA AB IO. CASP. ORELLIO.

Casp. Orellius

D

TURICI,
EX OFFICINA GESSNERIANA
M. DCCC. XXXIV.

1834

NOTARUM EXPLICATIO.

Vat.	=	Codex Vaticanus Maii.
A.	=	Cod. Regius Paris. Sec. IX. Madvigii.
B.	=	Cod. Bernensis Sec. X.
C.	=	Cod. Bernensis Sec. XV. uterque a L. Usterio collatus.
a.	=	Ascensiana secunda 1522.
b.	=	Ascensiana tertia 1531.
c.	=	Hervagiana Nonis Februariis 1534.
d.	=	Naugeriana, Mense Decembri 1534.

PRAEFATIO.

Cum post secundas meas in Sestianam curas nova quaedam nunc nactus sim subsidia, placuit in hac scriptiuncula orationem adolescentibus instituendis in primis idoneam ita constitutam exhibere, ut ipsa illa subsidia iubebant hominem, qui in tota hac arte critica nihil nisi verum spectat suasque opiniones et refutari et acriter, si cui placet, reprehendi non modo non aegre fert, verum etiam ex animi sententia laetatur, ubi Tullio suo aliorum studiis doctrina acumine beneficium aliquod impertitur.

Huiusmodi autem beneficium in Ciceronem denuo contulit Madvigius V. C. editis duobus libellis academicis, quibus triplicem Codicum Sestianae stirpem sollerter

distinxit atque descripsit, et partim ex optimo Codice Regio Sec. IX., partim eo, quo pollet, ingenio usus locos corruptos haud paucos probabiliter correxit, alios, qui tentati erant a criticis, recte defendit, alios denique melius quam superiores interpretes explicavit.

Huic Madvigii curae nunc accedit aliud insperatum subsidium, Ascensiana tertia, cuius inter bibliographos primus mentionem fecit Amadeus Peyron in Not. Libr. Valp. Cal. Lipsiae 1820 p. 65. Ab hoc autem viro doctissimo Bardilius V. C. per litteras certior factus erat, integram in ea iam contineri Sestianam, quod insigne meritum olim putabatur Hervagianae et Naugerianae. Quapropter cum vehementer optarem, ut illius aliquando mihi copia fieret, contigit tandem, ut libri longe rarissimi nanciscerer exemplum, quintum adhuc notum. *)

Index hic est: „M. Tullii Ciceronis orationes diligentius recognitae et aptiore serie repositae et plus quam sexcentis locis emendatae ex vetustis exemplaribus, totidem versibus qui interciderunt magnorum virorum iudicio auctae. Addita praeterea est Invectiva C. Crispi Sallustii in Ciceronem et Ciceronis in eundem recriminatio. Praeposita autem est tabella ipsarum Orationum cum Indice in eis insignium. Venundantur Io. Parvo, et Iod. Badio, eorundem impressori. Sub gratia et privilegio in facie operis explicandis.“ In fine: „Lutetiae Parisiorum apud Iodocum Badium Ascen. ad Eidus Octob. Anno MDXXXI.“ Fol. folia 12. Praefat. Ind. et f. 298.

Praemittitur eadem illa, quae Ascensianae secundae anni 1522, Epistola ad Draconem Budaeum, sed post vv. „et doctissimi“ haec inseruntur: „Multo tamen plura et addita et integritati priscae restituta sunt in hac ultima impressione nostra, collatis cum saepe nominati et semper cum summo honore nominandi patris tui libris, vetustissimis exemplaribus insignis in tota Gallia bibliothecae divi Victoris in suburbio Parisiensi per doctissimos in Academia ista Graecae linguae praeceptoribus Iacobum Tusanum et Petrum Danaesium, qui mille locos felicissime reposuerunt, et plus quam sexcentos versus in aliis desideratos addiderunt. — — — Vale, e chalcographia nostra, ineunte Ianuario An. M. D. XXII. et rursus Cal. Novemb. M. D. XXXI.“

Iam ex hac epistola colligi poterat e Codice S. Victoris, cuius excerpta dedit Gruterus, fluxisse tertiam Ascensianam. Verum ex tabula subiecta, in qua exhibentur lectiones XXVI. a Grutero nominatim e Cod. illo allatae inde a §. 74, a qua incipiunt redintegrationes, usque ad finem orationis videbis quattuor duntaxat consentire cum Cod. S. Victoris: quocirca alio usi sunt Tusanus et Danaesius; nec tamen ipso Cod. Regio Parisiensi; alioqui sane recepissent §. 80 egregiam lectionem *male dic Titio Sabinio*, ut alia permulta huius rei signa ac vestigia silentio praetermittam.

*) Duo scilicet praeterea dicuntur asservari in Bibliotheca Regia Parisiensi, tertium est Augustae Taurinorum, quartum Lugduni.

	Cod. S. Victoris.	Asc. tertia. (c = Hervag. d = Naug.)
§. 78.	illo illo die	*illo die* (cd.)
„ —	certe, certe	*certe* (cd.)
„ —	is praetor qui se servasse	*is trib. pl. qui servasse* (cd.)
„ 79.	tuto in foro tuo	*tuto in foro* (c.) *tuto in foro tum* (d.)
„ —	interfationem	*intercessionem* (cd.)
„ 80.	male dicito Sabinio	= Item c. *male dicito Sabino* d. Prius omittebatur *Sabinio*, sed rectius Cod. Reg.: *male dic Titio Sabinio.*
„ 81.	occultam	*occupatam* (cd.)
„ 86.	virtute	*virtute praeditum* (cd.)
„ 87.	velle te re. p. tum	*velle te Rep. tum* (Aliter corruptae cd.)
„ 90.	res ad communem utilitatem	*res communem utilitatem continentes* (*res ad c. u. continentes* cd.)
„ 97.	quis ergo iste optimus quisque?	*quis ergo optimus iste? quis?* (c. *quis ergo iste optimus? quis?* d.)
„ 101.	Quarium	*C. Marium* (cd.)
„ 102.	si tui laborem	*si vi laborem* (*si tu laborem* cd.)
„ 110.	sane altae iuvabant	= (*sane te iuvabant* c. *sane a te iuvabatur* d.)
„ 115.	coniectus	*contuitus* (cd.)
„ 116.	in templo virtus honoris honos	*in templo virtus honori honos* (c. *in templo virtutis honos* d.)
„ 120.	Quid enim? (*si fides Grutero.*)	*Qua enim* (c. *quam enim* d.)
„ 129.	tamen	= (c. *tum* d.)
„ 131.	fuisset reditusque, natalis idem	*fuisset, qui reditus natalis: idem* (*fuisset qui natalis idem* c. *fuisset reditus qui natalis idem* d.)
„ 133.	acta mea sibi alii displicere	*ac tam ea sibi alii d.* (*acta mea sibi ait d.* recte c. *acta mea illi d.* d.)

§. 134.	contemptio, nonne quem habitura sit exitum pertimescit?	*contemptio, ne non habitura sit exitum non pertimescit* (*contemptione, non habitura sit exitum, pertimescit* c. *contemptio non, quem habitura sit exitum, pertimescit* recte d.)
„ 135.	Anciliam	= (c. *Aciliam* d.)
„ —	assecula	*assecla* (cd.)
„ 138.	invidias	*iniurias* (c. *insidias* d.)
„ 143.	posteritatis gloriae	*posteritati et gloriae* (cd.)
„ 147.	P. Lentulo consule	*P. Lentulus consul* (d.) *P. Lentulo consuli* (c.)

Tametsi e lectionum varietate cuivis manifestum fiet cuiusque harum trium editionum propriam esse originem, tamen hoc quoque loco exemplis aliquot dilucidandum esse duco. Ed. b. ex alio codice expressam esse quam cd. inter alios hi docent loci, in quibus b. sola habet rectam vel certe meliorem lectionem: § 29. *familiaritate, quae mihi cum patre eius erat,* firmat bonam Madvigii coniecturam; *quae cum fratre mihi vel cum patre eius erat* ac. *quae mihi cum fratre, cum patre eius erat* d. § 54. *inter meum discrimen et suam praedam* b. *inter meum discrimen et eorum praedam* acd. § 64. *si commoveri* b. *si quo moveri* acd. § 68. *decesserat* b. *discesserat* acd. § 69. *flagitabant* b. *flagitabantur* acd. § 73. *scripsisset* b. *scripserat* acd.

Nec vero Hervagiana expressit Ascensianam tertiam, id quod maxime apparet iis ex locis, ubi singulares Hervagius habet errores, in quos nemo unquam incidisset, si Ascensianam nostram ante oculos habuisset; quo in genere potissimum hae elucent corruptelae: § 40. *putabant, tribunum popularem a se alienari nolebant, suaque sibi propiora pericula esse quam mea loquebantur* recte b. Contra c.: *putabant suaque — — loquebantur. Tribunum — — nolebant.* § 76. *virum optimum, fortissimum meique amantissimum* b. Omittunt ac. verba *fort. meique amant.* § 89. c. omittit vv., quae sunt in b. *an causam — — domi contineret.* § 94. *hos sic illudere* (male pro *eludere*) b. *hoc sic includere* c. § 99. *auctores* recte b. *tutores* c. (cum Bern.) § 101. *desunt* b. *desinunt* c. § 103. *quae consulto* b. *consulto* c. § 100. *honoribus summi viri, T.* (hoc male) *Philippi, vitrici, florere* b. *honoribus L. Philippi virtute florere* c. (om. vv. *summi viri.*) § 118. *ne illud quidem praetermittam* b. *et illud quidem non pr.* c. § 131. *patriae dexteram* b. *patriae propugnatori dexteram* c. Sed Venetam quoque, quam Naugerianam volgo recte appellant, ex diverso Codice, neutiquam ex b. vel c. desumptam esse singulae prope

paginae huius editionis ostendent. Ut paucis defungar exemplis, § 67. editor sine proprio codice nunquam potuisset substituere meliorum Codd. lectionem *servasset* alteri abc. *defendisset.* § 76. *a populo Romano deprecandam venisset* bc. *a populo Romano* (spatium) *deprecandamque v.* d. Contra § 26. sola habet interpolationem Cod. Bern. c. *cum venisset ad senatum* et alteram § 140. *exemplum rei publicae defendendae.*

Hoc igitur ponimus, tribus Codicibus inter se diversis tres Editores, qui Sestianam primi redintegrarunt, usos esse, ita ut pro suo captu e suo libro quisque emendaret etiam ea, quae ante habebantur.

A Tusano et Danaesio correctam et suppletam esse Ascensianam secundam, ab Hervagio Cratandrinam, ab Ed. Veneto Aldinam, quam tamen presse sequitur Asc. sec., admodum veri simile est. Optimus autem in his fuit Naugerii Codex, perbonus Tusani et Danaesii, paullo in nonnullis corruptior, sed tamen praestans Cod. Gabr. Florentii Talenti, id est, Hervagianus, omnes quidem ad familiam Cod. Regii Parisiensis referendi, ut de cd recte iudicavit Madvigius. Apparet id potissimum e § 19., ubi uno consensu exhibent antiquissimam Cod. Regii interpolationem: *ut illo supercilio tamquam Atlante caelum niti videretur,* cuius vestigium aliquod pervenerat iam ad Iuntam, non ad Asc. 1. et 2. Vel sic tamen nonnulla restant, quorum rationem et originem pro certo indicare non queo: veluti § 14. omnes tres: *se offerunt insolenter et insectantur, quoad*, cum Asc. prima 1511 habeat *se offerunt, insequuntur, q.* — Asc. sec. cum A. B. *se offerunt, insectantur, q.* Tribus in Codd. exstitisse vv. *insolenter et* postea in nullo reperta parum est probabile: nec vero multo probabilius, verumtamen eiusmodi, ut fieri potuerit, tres homines doctos uno consensu suam lectionem composuisse e Codicibus et Iuntina: *se efferunt insolenter, quoad.* Poterant tunc eiusmodi lectiones tamquam ἕρμαῖα per professorum scholas et per epistolas late propagari: nam, ut praediximus, longe maior ac gravior est numerus locorum in tribus Edd. illis discrepantium, quam ut de communi fonte cogitare liceat. Facile contra intelligimus, cur § 37. bc. servarint foedam Asc. sec. corruptelam *populariter agente. Attamen nec tergiversatus cessit* pro *populariter abstinenterque versato. Cessit* (d.), si in suis Codd. monstra lectionis ipsi quoque reppererunt similia Bernensis: *popularitera isti neterque versato cessit.*

Iam huius editionis ea ratio est, ut cum Codices Vat. ABC. pressius quam antea, tum Madvigium secuti brevitatis causa auctoritates earum dumtaxat lectionum indicaremus, quibus in lectionibus haec recensio differt a Curis secundis easdemque corrigit ac supplet; (ubi concordant, in his quaerendae sunt;) omnem autem eno-

taremus varietatem et Ascensianae secundae, (quo constaret de contextu Codd. et Edd. mutilarum tertiae familiae,) et trium Edd. integrae orationis principum bcd, ut, quae communia habeant, in quibus discrepent, in oculos uni cuique incurrat. In lectionibus memorabilibus exhibemus Dobraei et Muelleri nonnullas coniecturas, omnesque illas Madvigii, quae aut ipsi auctori dubiae erant aut nobis recipiendae non videbantur; tum nostras aliquot vel priores vel novas: reliquas nunc partim melioribus repertis, partim lectione Codd. scite a Madvigio defensa reiicio. Ernestianam autem varietatem idcirco subiecimus, ut, quid optimorum Codicum ope et Criticorum studiis inde ab his sexaginta annis emendatum sit, manifestius appareret.

M. TULLI CICERONIS

PRO

P. SESTIO

ORATIO.

I. 1. Si quis antea, iudices, mirabatur, quid esset, quod pro tantis opibus rei publicae tantaque dignitate imperi nequaquam satis multi cives forti et magno animo invenirentur, qui auderent se et salutem suam in discrimen offerre pro statu civitatis et pro communi libertate, ex hoc tempore miretur potius, si quem bonum et fortem civem viderit quam si quem aut timidum aut sibi potius quam rei publicae consulentem. Nam, ut omittatis de unius quoiusque casu cogitando recordari, uno adspectu intueri potestis eos, qui cum senatu, cum bonis omnibus rem publicam afflictam excitarint et latrocinio domestico liberarint, maestos sordidatos reos, de capite, de fama, de civitate, de fortunis, de liberis dimicantis: eos autem, qui omnia divina et humana violarint vexarint perturbarint everterint, non solum alacris laetosque volitare, set etiam fortissumis atque optumis civibus periculum moliri, de se nihil timere. 2. In quo cum multa sunt indigna, tum nihil minus est ferendum, quam quod iam non per latrones suos, non per homines egestate et scelere deperditos, set per vos nobis, per optumos viros optumis civibus periculum inferre conantur et, quos lapidibus, quos ferro, quos facibus, quos vi manu copiis delere non potuerunt, hos vestra auctoritate, vestra religione, vestris sententiis se oppressuros arbitrantur. Ego autem, iudices, qua voce mihi in agendis gratiis commemorandoque eorum, qui de me optume meriti sunt, beneficio esse utendum putabam, ea nunc uti cogor in eorum periculis depellendis. Iis potissimum vox haec serviat, quorum opera et mihi et vobis et populo Romano restitutast.

II. 3. Et, quamquam a Q. Hortensio, clarissumo viro atque eloquentissumo, causa est P. Sesti perorata nihilque ab eo praetermissumst, quod aut pro re publica conquerendum fuit

---

ERNESTIUS. 8. *dimicare* 10. *etiam voluntarios fort.* (*voluntarios* om. ABCbc.) 11. *sint* 15. *iudices, quia, qua — — depellendis, iis* — Sane deberet esse *quoniam* recte hoc docente Madvigio. Ut nos, Aabcd. BC. autem denuo inspiciendi. 16. *sunt meriti, beneficia* 20. *Sextii* et sic semper.

LECTT. abcd. 5. *potius sibi* a sola. Ibid. *consultum* c sola. 9. *humana vexarint violarint* abc. non d. 10. *etiam voluntarios fort.* ad. 16. *optime de me* ac. *sunt meriti* b sola. Ut nos, d. Ibid. *putavi* a sola. 17. *his* a sola. 20. *conquirendum* c sola.

aut pro reo disputandum, tamen aggrediar ad dicendum, ne mea propugnatio ei potissumum defuisse videatur, per quem est perfectum, ne ceteris civibus deesset. Atque ego sic statuo, iudices, a me in hac causa atque hoc extremo dicendi loco pietatis potius quam defensionis, querelae quam eloquentiae, doloris quam ingeni partis esse susceptas. 4. Itaque, si aut acrius egero aut liberius quam qui ante me dixerunt, peto a vobis, ut tantum orationi meae concedatis, quantum et pio dolori et iustae iracundiae concedendum putetis. Nam neque officio coniunctior dolor ullus esse potest quam hic meus susceptus ex hominis de me optume meriti periculo, neque iracundia magis ulla laudanda quam ea, quae me inflammat eorum scelere, qui cum omnibus meae salutis defensoribus bellum esse sibi gerendum iudicaverunt. 5. Set, quoniam singulis criminibus ceteri responderunt, dicam ego de omni statu P. Sesti, de genere vitae, de natura, de moribus, de incredibili amore in bonos, de studio conservandae salutis communis atque oti, contendamque, si modo id consequi potero, ut in hac confusa atque universa defensione nihil a me, quod ad vestram quaestionem, nihil, quod ad reum, nihil, quod ad rem publicam pertineat, praetermissum esse videatur. Et, quoniam in gravissumis temporibus civitatis atque in ruinis eversae atque afflictae rei publicae P. Sesti tribunatus est a fortuna ipsa collocatus, non aggrediar ad illa maxuma atque amplissuma prius quam docuero, quibus initiis ac fundamentis haec tantae summis in rebus laudes excitatae sint.

III. 6. Parente P. Sestius natus est, iudices, homine, ut plerique meministis, et sapiente et sancto et severo: qui cum tribunus pl. primus inter homines nobilissumos temporibus optumis factus esset, reliquis honoribus non tam uti voluit quam dignus videri. Eo auctore duxit honestissumi et spectatissumi viri, C. Albini filiam, ex qua hic est puer et nupta iam filia. Duobus his gravissumae antiquitatis viris sic probatus fuit, utrique eorum ut et carus maxume et iucundus esset. Ademit Albinio soceri nomen mors filiae, set caritatem illius necessitudinis et benevolentiam non ademit. Hodie sic hunc diligit, ut vos facillume potestis ex hac vel assiduitate eius vel sollicitudine et molestia iudicare. 7. Duxit uxorem patre vivo optumi et calamitosissumi viri filiam, L. Scipionis. Clara in hoc P. Sesti pietas exstitit et omnibus grata, quod et Massiliam statim profectus est, ut socerum videre consolarique posset fluctibus rei publicae expulsum, in alienis terris iacentem, quem in maiorum suorum vestigiis stare oportebat: et ad eum filiam eius adduxit, ut ille insperato adspectu complexuque, si non omnem, at aliquam partem maeroris sui deponeret: et maxumis officiis et illius aerumnam, quoad vixit, et filiae solitudinem sustentavit. Possum multa dicere de liberalitate, de domesticis officiis, de tribunatu militari, de provinciali in eo magistratu abstinentia: set mihi ante oculos obversatur rei publicae dignitas, quae me ad sese rapit, haec minora relinquere hortatur. 8. Quaestor hic C. Antoni, collegae mei, iudices, fuit sorte, set societate consiliorum meus. Impedior nonnullius offici, ut ego interpretor, religione, quo minus exponam, quam multa P. Sestius, cum esset cum collega meo, senserit, ad me detulerit, quanto ante providerit. Atque ego de Antonio nihil dico praeter unum: numquam illum in illo summo timore ac

---

ERN. 6. *Neque enim* (*Nam neque* Madvigius e vestigiis codd. *namque, namqui, neque, nunquam.*) 7. *ullius* 22. *ut utrique eorum et.* 23. *Albino* 26. *at cal.* Ibid. *C. Scipionis.* 29. *illo* (*ille* ABCd.) 36. *P. Sestius — — senserit* om.

LECTT. abcd. 3. *in hac causa atque exercitatione dicendi a me locum pietatis p. q. d. querelam quam eloquentiam* a sola. 6. *concedatur* d sola. 7. *dolor esse ullus* a. *dolor ullius esse* bc. *dolor esse ullius* d. 8. *quae* om. c sola. 9. *salutis meae* abc. non d. 9. *gerendum sibi* a sola. 22. *his* om. d sola. Ibid. *gravissimis* abcd. Ibid. *ut utrique eorum et* abcd. 23. *Albino* abcd. 26. *C. Scipionis* a sola. Ibid. *extitit omnibus* a sola. 29. *illo* abc. non d. 30. *officiis illius* c sola. 32. *militum* abc. non d. 33. *ad se* abc. non d. 35. *exponam quanta* ac. 36. *P. Sestius — — senserit* om. abcd. Ibid. *quanta ante* b sola.

LECTT. MEM. 36. Fort.: *senserit, quam multa ad me detulerit.* OR.

periculo civitatis neque communem metum omnium nec propriam nonnullorum de ipso suspicionem aut infitiando tollere aut dissimulando sedare voluisse. In quo collega sustinendo atque moderando, si meam in illum indulgentiam coniunctam cum summa custodia rei publicae laudare vere solebatis, par prope laus P. Sesti esse debet, qui ita suum consulem observavit, ut et illi quaestor bonus et vobis omnibus optumus civis videretur.

IV. 9. Idem, cum illa coniuratio ex latebris atque ex tenebris erupisset palamque armata volitaret, venit cum exercitu Capuam, quam urbem propter plurimas belli opportunitates ab illa impia et scelerata manu temptari suspicabamur. ✝ M. Aulanum, tribunum militum Antoni, Capua praecipitem eiecit, hominem perditum et non obscure Pisauri et in aliis agri Gallici partibus in illa coniuratione versatum. Idemque C. Marcellum, cum is non solum Capuam venisset, verum etiam se quasi armorum studio in maxumam familiam coniecisset, exterminandum ex illa urbe curavit. Qua de causa et tum conventus ille Capuae, qui propter salutem illius urbis consulatu conservatam meo me unum patronum adoptavit, huic apud me P. Sestio maxumas gratias egit, et hoc tempore iidem homines nomine commutato coloni decurionesque, fortissumi atque optumi viri, beneficium P. Sesti testimonio declarant, periculum decreto suo deprecantur. 10. Recita, quaeso, P. Sesti, quid decrerint Capuae decuriones; ut iam puerilis tua vox possit aliquid significare inimicis nostris, quidnam, cum se corroborarit, effectura esse videatur. DECRETVM DECVRIONVM. Non recito decretum officio aliquo expressum vicinitatis aut clientelae aut hospiti publici, aut ambitionis aut commendationis gratia: set recito memoriam perfuncti periculi, praedicationem amplissumi benefici, vocem offici praesentis, testimonium praeteriti temporis. 11. Atque illis temporibus iisdem, cum iam Capuam metu Sestius liberasset, Urbem senatus atque omnes boni deprehensis atque oppressis domesticis hostibus me duce ex periculis maxumis extraxissent, ego litteris P. Sestium Capua arcessivi cum illo exercitu, quem tum secum habebat. Quibus hic litteris lectis ad Urbem confestim incredibili celeritate advolavit. Atque, ut illius temporis atrocitatem recordari possitis, audite litteras et vestram memoriam ad timoris praeteriti cogitationem excitate. LITTERAE CICERONIS CONSVLIS.

V. Hoc adventu P. Sesti tribunorum pl. novorum, qui tum extremis diebus consulatus mei res eas, quas gesseram, vexare cupiebant, reliquaeque coniurationis impetus et conatus sunt retardati. 12. Ac posteaquam est intellectum, *M.* Catone tribuno pl., fortissumo atque optumo cive, rem publicam defendente, per se ipsum senatum populumque Romanum sine militum praesidio tueri facile cum maiestatem suam, *tum* dignitatem eorum, qui salutem commu-

---

ERN. 1. *neque pr.* 4. *suum ita* 8. *attentari* (*temptari* ABC.) Ibid. *et inde M. Aulanum* 16. *periculumque* 16. *decreverint* 17. *possit* [*aliquid*] *s.* 20. *vicem* (*vocem* amicus Lambini.) 23. *litteris eum Capua* 29. *reliquique* 30. *intellectum, Catone* (*M.* additum est de mea et Muelleri coni. in Curis sec. p. 24.) 32. *facile maiestatem suam et dignitatem*

LECTT. abcd. 1. *neque pr.* abcd. 2. *inficiendo* c sola. 4. *suum ita* abcd. 8. *attentari* abcd. Ibid. *et inde M. Aulanum* abcd. et ex antiquissima interpolatione Cod. A. 11. *non Capuam solum* d sola. 12. *cum illa* a sola. 14. *fidem hominis beneficiumque testimonio* a sola. 16. *periculumque* abcd. Ibid. *deprecantur suo decreto* a sola. Ibid. *decreverint* abcd. 17. *iam virilis* abcd. 20. *praedationem* b sola. Ibid. *vicem* abcd. 21. *iisdem* om. a sola. 23. *detraxissent* d sola. Ibid. *litteris eum Capua accersivi* abcd. 28. *Hoc P. Sestio* a sola. 29. *reliquique* abc. non d. 30. *M.* om. abcd. 31. *senatus populusque Rom.* d sola. 32. *facile maiestatem suam et dignitatem* Aabcd.

LECTT. MEM. 16. *L. Sesti* Hotomannus. Ibid. *vestris* A. 32. *facile eum, maiestate sua dignitatem,* e lect. BC. *facile cum maiestatem suam dignitatem* Madvigius. (In eandem coniecturam incidit Baiterus.)

nem periculo suo defendissent, Sestius cum illo exercitu suo summa celeritate est Antonium consecutus. Hic ego quid praedicem, quibus hic rebus consulem ad rem gerendam excitarit? quos stimulos admoverit homini studioso fortasse victoriae, set tamen nimium communem Martem belli casumque metuenti? Longum est ea dicere, sed hoc brevi dicam: si M. Petrei non excellens animus et amor rei publicae, non praestans in re publica virtus, non summa auctoritas aput milites, non mirificus usus in re militari exstitisset neque adiutor ei P. Sestius ad excitandum Antonium, cohortandum accusandum impellendum fuisset, datus illo in bello esset hiemi locus neque umquam Catilina, cum e pruina Apennini atque e nivibus illis emersisset atque aestatem integram nactus Italiae callis et pastorum stabula + praedari coepisset, sine multo sanguine ac sine totius Italiae vastitate miserrima concidisset. 13. Hunc igitur animum ad tribunatum attulit P. Sestius: — ut quaesturam Macedoniae relinquam et aliquando ad haec propiora veniam; quamquam non est omittenda singularis illa integritas provincialis, quoius ego nuper in Macedonia vidi vestigia non pressa leviter ad exigui praedicationem temporis, sed fixa ad memoriam illius provinciae sempiternam: verum haec ita praetereamus, ut tamen intuentes et respectantes relinquamus. —

VI. Ad tribunatum, qui ipse ad sese iam dudum vocat et quodammodo absorbet orationem meam, contento studio cursuque veniamus. 14. De quo quidem tribunatu ita dictumst a Q. Hortensio, ut eius oratio non defensionem modo videretur criminum continere, set etiam memoria dignam *iuvent*uti rei publicae capessendae auctoritatem disciplinamque praescribere. Set tamen, quoniam tribunatus totus P. Sesti nihil aliud nisi meum nomen causamque sustinuit, necessario mihi de iisdem rebus esse arbitror, si non subtilius disputandum, at certe, iudices, dolentius deplorandum. Qua in oratione si asperius in quosdam homines invehi vellem, quis non concederet, ut eos, quorum sceleris furore violatus essem, vocis libertate perstringerem? Set agam moderate et huius potius tempori serviam quam dolori meo: si qui occulte a salute nostra dissentiunt, lateant; si qui fecerunt aliquid aliquando atque iidem nunc tacent et quiescunt, nos quoque simus obliti; si qui se offerunt, insectantur, quoad ferri poterunt, perferemus; neque quemquam offendet oratio mea, nisi qui se ita obtulerit, ut in eum non invasisse, set incucurrisse videamur. 15. Set necessest, antequam de tribunatu P. Sesti dicere incipiam, me totum superioris anni rei publicae naufragium exponere, in quo colligendo ac reficienda salute communi omnia reperientur P. Sesti facta dicta consilia versata.

VII. Fuerat ille annus iam in re publica, iudices, cum in magno motu et multorum timore intentus est arcus in me unum, sicut volgo ignari rerum loquebantur, re quidem vera in universam rem publicam, traductione ad plebem furibundi hominis ac perditi, mihi irati, set multo acrius oti et communis salutis inimici. Hunc vir clarissumus mihique multis repugnantibus amicissumus, Cn. Pompeius, omni cautione foedere exsecratione devinxerat nihil in tribunatu contra me esse facturum. Quod ille nefarius, ex omnium scelerum colluvione natus, parum se foedus violaturum arbitratus est, nisi ipsum cautorem alieni periculi suis propriis periculis terruisset. 16. Hanc tetram immanemque beluam vinctam auspiciis, alligatam more maiorum, constrictam legum sacratarum catenis solvit subito lege curiata consul vel, ut ego arbitror, exoratus vel, ut non nemo putabat, mihi iratus, ignarus quidem certe et imprudens impendentium tantorum scelerum ac malorum. Qui tribunus pl. felix in evertenda re publica fuit, nullis suis nervis: qui enim in eiusmodi vita nervi potuerunt esse hominis fraternis flagitiis, sororiis stupris, omni inaudita libidine insani? 17. Set fuit profecto quaedam illa rei publicae fortuna fatalis, ut ille caecus atque amens tribunus nancisceretur — quid dicam? — consules? hocine ut ego nomine appellem eversores huius imperi, proditores vestrae dignitatis, hostis bonorum omnium? qui ad delendum senatum, affligendum equestrem ordinem, exstinguenda omnia iura atque instituta maiorum se illis fascibus ceterisque insignibus summi honoris atque imperi ornatos esse arbitrabantur. Quorum, per deos immortalis! si nondum scelera volneraque inusta rei publicae voltis recordari, voltum atque incessum animis intuemini. Facilius facta eorum occurrent mentibus vestris, si ora ipsa oculis proposueritis.

ERN. 1. *suo exercitu* (*exercitu suo* A.) 3. *quot* Ibid. *fortassis* 4. *Martem bellique casum* (*Martem belli casumque* A.) Ibid. *breve* 5. *non excellens animo et amore reip.* 7. *accusandum* om. 9. *stab. praeclara cepisset* 16. *quia*, (*qui* A, ut voluit Muellerus in Curis sec. p. 26.) 17. *dictum a* 18. *criminum videretur* 19. *memoria digna esset, uti et rei publicae cappessendae a. d. praescriberet* (*memoria dignam iuventuti rei publicae capessendae a. d. praescribere* AB. nisi quod A. *memoriam*, B. *digna* exhibet; *iuventuti* pro *uti* Madvigius optima coni.) 20. *tribunatus quidem totus* (*quidem* om. Ad.)

LECTT. abcd. 1. *summa est celeritate* abc. non d. 3. *quot* abd. non c. Ibid. *studio* c sola. Ibid. *fortassis* abcd. 4. *Martem bellique casum* abcd. Ibid. *est dicere* abc. non d. Ibid. *breve* abcd. 5. *non excellens animo et amore reip. virtus* ad. *non excellens animus et amore reip. praestans* bc. 6. *adiutor reipub. Sestius* a sola. 7. *accusandum* om. abcd. Ibid. *fuisset datus illo in bello nequaquam Cat.* a. *fuisset datus: si illo* bc. *fuisset datus: illo* d. 9. *stab. praeclara cepisset* abc. non d. 16. *quia* abcd. Ibid. *ipse ad id iamdudum* a sola. 17. *dictum ab Hortensio* abc. *dictum a Q. Hortensio* d. 18. *criminum videretur* abcd. 19. *memoria dignam et reip. capessendae auctoritatem disciplinamque praescribere* abcd. 20. *tribunatus quidem totus* abc. 22. *certe dolentius* d sola. 23. *scelere, furore* a sola.

LECTT. MEM. 1. *suo* cum BC. delendum videtur Madvigio. Sed nimis remota sunt vv. §. 11. *cum illo exercitu, quem tum secum habebat:* et facile *suo* ante syll. *sum* ab aliis omitti, ab aliis cum *illo* coniungi poterat. Veram igitur lect. praebet A. 4. „*Communis Mars* non dicitur, sed semper *communis Mars belli.*“ Madvig. Cfr. tamen Milon. §. 56. *adde incertos exitus pugnarum Martemque communem, qui* cet. Ibid. *Longum est omnia dicere* Gryphius. 9. *praedari* tolerari non posse concedo meliora edoctus a Madvigio: etsi non satis accurate dixit: „*praedari* nullam omnino nisi fictitii codicis Ursini auctoritatem habet, cuius interpolationem Naugerius recepit:“ immo Editoris Veneti lectionem sive in Cod. repertam sive ex ingenio depromptam Codici suo fictitio tribuit, ut solebat, Ursinus, qui multo post illum vixit. Ipse Madvigius coniecit *peragrare*, verbum, ut ita dicam, nimis tranquillum ac pacificum, ubi de multo sanguine et totius Italiae vastitate sermo est. 22. Om. *iudices* Ad. probantibus Madvigio et Baitero. Sed probabilius est casu v. excidisse quam consulto inculcatum esse. Praeterea numerosius ad aures mihi accidit, quam ut delere sustineam.

ERN. 1. *sed ut agam* (*ut* om. A.) Ibid. *huic potius* 3. *offerunt insolenter et insectantur* (*insolenter et* om. ABCa.) 5. *incurrisse* 7. *dicta facta* (*facta dicta* ABC.) 8. *Fuerat ille annus in rei publicae magno m. et m. timore tamquam intentus arcus.* (Quod dedimus, debetur Madvigio codicum vestigia secuto.) 13. *At ille* 14. *est arbitratus* 16. [*legum*] *consul* (*legum curiata consul* A.) 17. *putat* 19. *esse potuerunt* 20. *infamis* 22. *appellem nomine* (*nomine appellem* Vatic. A.) 27. *intueamini*

LECTT. abcd. 1. *sed ut agam* abcd. Ibid. *huic potius* abcd. 3. *offerunt insolenter et insectantur* bcd. 4. *potuerunt* a sola. 5. *incurrisse* abcd. 7. *reficienda saluti* a sola. Ibid. *dicta, facta* abcd. 8. *Fuerat ille annus tamquam in reip. magno metu* (sic) *et multorum timore intentus arcus* ad. *Fuerat ille annus in reip. magno metu* (sic) *et m. t. tamquam intentus arcus* b. *Fuerat ille annus in reip. magno motu et m. t. intentus arcus* c. 11. *que* om. abc. non d. 13. *At ille* abcd. (*At ille sceleratissimus* a.) 14. *est* om. abcd. 16. *sacrarum* ac. non bd. Ibid. *legum consul* ad. *legum cura consul* bc. 17. *putaret* abcd. *putaret minatus* c. sola. *gnarus quidem certe et prudens* a sola. 18. *scelerum tantorum* abc. non d. 19. *esse potuerunt* acbd. 20. *sororis* bcd. non a. Ibid. *lib. infamis* abcd. 21. *tribunus pl. nancisceretur* abcd. 24. *hoccine ego* ad. non bc. 27. *intueamini* abcd. Ibid. *eorum facta* d sola. Ibid. *oculis vestris prop.* abc. non d.

LECTT. MEM. 3. V. *insolenter* in nullo adhuc codice repertum ex Iuntina adscitum videtur. Ἀσύνδετον autem, quod durius videtur, simile est illi §. 29. *expulerit, relegarit.* Videndum tamen, de quo me Baiterus admonuit, ne *insectantur, insequentur* glossemata sint v. *se offerunt*, quod solum respicitur in seqq. *nisi quis se ita obtulerit.* 27. *Facilius — — — proposueritis.*] „Dele ista.“ Dobraeus Adverss. P. 2. p. 375.

VIII. 18. Alter unguentis affluens, calamistrata coma, despiciens conscios stuprorum ac veteres vexatores aetatulae suae, puteali et feneratorum gregibus inflatus, a quibus compulsus olim, ne in Scyllaeo illo aeris alieni tamquam in freto ad columnam adhaeresceret, in tribunatus portum perfugerat, contemnebat equites Romanos, minitabatur senatui, venditabat se operis atque ab iis se ereptum, ne de ambitu causam diceret, praedicabat ab iisdemque se etiam invito senatu provinciam sperare dicebat; eamque nisi adeptus esset, se incolumem nullo modo fore arbitrabatur. 19. Alter, o dii boni! quam teter incedebat! quam truculentus! quam terribilis adspectu! Unum aliquem te ex barbatis illis, exemplum imperi veteris, imaginem antiquitatis, columen rei publicae diceres intueri. Vestitus aspere nostra hac purpura plebeia ac paene fusca; capillo ita horrido, ut Capua, in qua ipse tum imaginis ornandae causa duumviratum gerebat, Seplasiam sublaturus videretur. Nam quid ego de supercilio dicam, quod tum hominibus non supercilium, sed pignus rei publicae videbatur? Tanta erat gravitas in oculo, tanta contractio frontis, ut illo supercilio annus ille niti tamquam vade videretur. 20. Erat hic omnium sermo: „Est tamen rei publicae magnum firmumque subsidium; habeo quem opponam labi illi atque coeno; voltu mediusfidius collegae sui libidinem levitatemque franget; habebit senatus in hunc annum quem sequatur; non deerit auctor et dux bonis.“ Mihi denique homines praecipue gratulabantur, quod habiturus essem contra tribunum pl. furiosum et audacem cum amicum et affinem, tum etiam fortem et gravem consulem.

IX. Atque eorum alter fefellit neminem. Quis enim clavum tanti imperi tenere et gubernacula rei publicae tractare in maxumo cursu ac fluctibus posse arbitraretur hominem emersum subito ex diuturnis tenebris lustrorum ac stuprorum, vino ganeis lenociniis adulteriisque confectum? cum is praeter spem in altissumo gradu alienis opibus positus esset, qui non modo tempestatem impendentem intueri temulentus, set ne lucem quidem insolitam adspicere posset? 21. Alter multos plane in omnis partis fefellit. Erat enim hominum opinioni nobilitate ipsa, blanda conciliatricula, commendatus. Omnes boni semper nobilitati favemus et quia utilest rei publicae nobilis homines esse dignos maioribus suis et quia valet apud nos clarorum hominum et bene de re publica meritorum memoria etiam mortuorum. Quia tristem semper, quia taciturnum, quia subhorridum atque incultum videbant et quod erat eo nomine, ut ingenerata familiae frugalitas videretur, favebant, gaudebant et ad integritatem maiorum spe sua hominem vocabant materni generis obliti. 22. Ego autem (vere dicam, iudices,) tantum esse in homine sceleris audaciae crudelitatis, quantum ipse cum re publica sensi, numquam putavi. Nequam esse hominem et levem et falsa opinione, errore hominum ab adulescentia

---

ERN. 2. *inflatus atque perculsus olim, ne Scyllaeo illo aeris alieni in freto* 13. *supercilio res publica tamquam Atlante caelum niti v.* (*supercilio annus ille* cet. Madvigius vestigiis Codd. et Valerio Probo p. 1475 P.) 14. *Erat denique hic* 30. *vere hoc dicam*

LECTT. abcd. 2. *putealis et f. g. inflatus atque perculsus olim Nesculeio illo aeris alieni in freto* a. Item b., sed: *ne Scyllaeo — puteali et f. g. inflatus atque perculsus olim Herculeio illo aeris alieni in freto* c. *putealis et f. g. i. atque compulsus: olim ne Scyllaeo illo aeris alieni in freto* d. 4. *ni in tribunatus portum infugeret* a sola. 6. *esset, incolumem* c sola. 9. *asper* abcd. Ibid. *nostra* om. b sola. 10. *in* om. a sola. Ibid. *formandae* abcd. 11. *duumvirum gerebat saepius iam sublatus vid.* a sola. 13. *frontis contractio* abcd. *supercilio tamquam Rhadamanthus ille niti v.* a. Ut Ern., Abcd. 14. *Erat denique hic* abc. 14. *est tandem* a sola. 15. *lenitatemque* c sola. 17. *congratulabantur* a sola. 18. *cum et amicum* ac. *tum amicum* d. Ut nos, b. 23. *intueri impendentem* abc. non d. 24. *opinione* c sola. 26. *nobiles esse homines* a sola. 27. *hominum senex de* abc. non d. Ibid. *Quia cum tristem* b sola. 30. *vere hoc dicam* b sola.

LECTT. MEM. 2. *infestus* Muellerus. (*inflatus alicui* nec significare potest, ut opinantur Klotz et Madvig, „iratus“ neque omnino Latine dicitur; nam longe discrepat *buccas inflare alicui* Horatii.)

commendatum sciebam. Etenim animus eius voltu, flagitia parietibus tegebantur: set haec obstructio nec diuturnast neque obducta ita, ut curiosis oculis perspici non possit.

X. Videbamus genus vitae, desidiam, inertiam; inclusas eius libidines, qui paullo propius accesserant, intuebantur: denique etiam sermonis ansas dabat, quibus reconditos eius sensus tenere possemus. 23. Laudabat homo doctus philosophos nescio quos, neque eorum tamen nomina poterat dicere: set tamen eos laudabat maxime, qui dicuntur praeter ceteros esse auctores et laudatores voluptatis: quoius et quo tempore et quo modo, non quaerebat; verbum ipsum omnibus ..... animi et corporis devorabat; eosdemque praeclare dicere aiebat, sapientis omnia sua causa facere; rem publicam capessere hominem bene sanum non oportere; nihil esse praestabilius otiosa vita, plena et conferta voluptatibus: eos autem, qui dicerent dignitati esse serviendum, rei publicae consulendum, offici rationem in omni vita, non commodi esse ducendam, adeunda pro patria pericula, volnera excipienda, mortem oppetendam, vaticinari atque insanire dicebat. 24. Ex his assiduis eius quotidianisque sermonibus et quod videbam, quibuscum hominibus in interiore parte aedium viveret, et quod ita domus ipsa fumabat, ut multa eius sermonis indicia redolerent, statuebam sic, boni nihil ab illis nugis exspectandum, mali quidem certe nihil pertimescendum. Set itast, iudices, ut, si gladium parvo puero aut si imbecillo seni aut debili dederis, ipse impetu suo nemini noceat; sin ad nudum vel fortissumi viri corpus accesserit, possit acie ipsa et ferri viribus volnerari: ita cum hominibus enervatis atque exsanguibus consulatus tamquam gladius esset datus, qui per se pungere neminem umquam potuissent, hi summi imperi nomine armati rem publicam contrucidarunt. Foedus fecerunt cum tribuno pl. palam, ut ab eo provincias acciperent, quas ipsi vellent: exercitum et pecuniam, quantam vellent, ea lege, si ipsi prius tribuno pl. afflictam et constrictam rem publicam tradidissent. Id autem foedus meo sanguine ictum sanciri posse dicebant. 25. Qua re patefacta, (neque enim dissimulari tantum scelus poterat nec latere) promulgantur uno eodemque tempore rogationes ab eodem tribuno de mea pernicie et de provinciis consulum nominatim.

XI. Hîc tum senatus sollicitus, vos, equites Romani, excitati, Italia cuncta permota, omnes denique omnium generum atque ordinum cives summae rei publicae a consulibus atque a summo imperio petendum esse auxilium arbitrabantur, cum illi soli essent praeter furiosum illum tribunum duo rei publicae turbines, qui non modo praecipitanti patriae non subvenirent, sed eam nimium tarde concidere maererent. Flagitabatur ab iis quotidie cum querelis bonorum omnium, tum etiam precibus senatus, ut meam causam susciperent, agerent, aliquid denique ad senatum referrent: ii non modo negando, set etiam irridendo amplissumum quemque illius ordinis insequebantur. 26. Hîc subito cum incredibilis in Capitolium multitudo ex tota

---

ERN. 2. *nec obd.* 8. *omnibus modis animi* 10. *vita et plena* 12. *subeunda* 14. *aedium parte* (*parte aedium* AB.) 15. *redoleret* 20. *contrucidaverunt* 27. *Romani* om. 31. *sed eam etiam nim.* Ibid. *his* (*iis* coni. scripsi.) 33. *hi* (*ii* Madvig.)

LECTT. abcd. 2. *nec obd.* abcd. 6. *sed eos tamen* abc. non d. 8. *o. modis a.* abcd. 10. *vita et plena* bc. non d. *vita et conferta et plena* a. 12. *subeunda* abcd. 14. *aedium parte* abcd. 15. *redoleret* b sola. Ibid. *statuebant* d sola. 16. *nugis esse exsp.* abc. non d. 17. *imbecilli* a sola. 18. *ipsa vel ferri* abc non d. Ibid. *vulnerare* b sola. 20. *trucidaverunt* abc. *contrucidaverunt* d. 23. *afflictam remp.* (omissis vv. *et constrictam*) abcd. Ibid. *sanguine sanciri* b sola. 26. *prov. nominatim consularibus* abc. non d. 27. *Romani* om. abcd. 31. *sed eam nimis* a. *sed etiam nimium* b. *sed etiam nimis* c. Ut nos, d. Ibid. *his* abcd. 33. *hi* abcd.

LECTT. MEM. 8. Fort.: excidit *partibus*. Or. *omni vi animi* Madvig. 33. *referrent: non modo* BC. (non A.)

Urbe cunctaque Italia convenisset, vestem mutandam omnes meque etiam omni ratione, privato consilio (quoniam publicis ducibus res publica careret) defendendum putarunt. Erat eodem tempore senatus in aede Concordiae, quod ipsum templum repraesentabat memoriam consulatus mei, cum flens universus ordo cincinnatum consulem orabat: nam alter ille horridus et severus consulto se domi continebat. Qua tum superbia coenum illud ac labes amplissumi ordinis preces et clarissumorum civium lacrumas repudiavit! me ipsum ut contempsit helluo patriae! nam quid ego patrimoni dicam, quod ille, cum quasi quaestum faceret, amisit? Vos, vos, inquam, equites Romani, et omnes boni veste mutata vos pro meo capite ad pedes lenonis impurissumi proiecistis: cum vestris precibus ab latrone illo repudiati estis. Vir incredibili fide, magnitudine animi, constantia, L. Ninnius, ad senatum de re publica rettulit senatusque frequens vestem pro mea salute mutandam censuit.

XII. 27. O diem illum, iudices, funestum senatui bonisque omnibus, rei publicae luctuosum, mihi ad domesticum maerorem gravem, ad posteritatis memoriam gloriosum! Quid enim quisquam potest ex omni memoria sumere illustrius, quam pro uno cive et bonos omnis privato consensu et universum senatum publico consilio mutasse vestem? quae quidem tum mutatio non deprecationis est causa facta, sed luctus. Quem enim deprecarentur, cum omnes essent sordidati cumque hoc satis esset signi esse improbum, qui mutata veste non esset? Hac mutatione vestis facta, tanto in luctu civitatis, omitto, quid ille tribunus, omnium rerum divinarum humanarumque praedo, fecerit: qui adesse nobilissumos adulescentis, honestissumos equites Romanos, deprecatores salutis meae iusserit eosque operarum suarum gladiis et lapidibus obiecerit: de consulibus loquor, quorum fide res publica niti debuit. 28. Exanimatus evolat ex senatu, non minus perturbato animo atque voltu, quam si annis ante paucis in creditorum conventum incidisset; advocat contionem, habet orationem talem consul, qualem numquam Catilina victor habuisset: „errare homines, si etiam tum senatum aliquid in re publica posse arbitrarentur; equites vero Romanos daturos illius diei poenas, quo me consule cum gladiis in clivo Capitolino fuissent; venisse tempus iis, qui in timore fuissent (coniuratos videlicet dicebat), ulciscendi se.“ Si dixisset haec solum, omni supplicio esset dignus; nam oratio ipsa consulis perniciosa potest rem publicam labefactare: quid fecerit, videte. 29. L. Lamiam, qui, cum me ipsum pro summa familiaritate, quae mihi cum patre eius erat, unice diligebat, tum pro re publica vel mortem oppetere cupiebat, in contione relegavit edixitque, ut ab Urbe abesset milia passuum ducenta, quod esset ausus pro cive, pro bene merito cive, pro amico, pro re publica deprecari.

ERN. 7. *amisit. Cum venisset ad senatum vos, inquam, equites R. et o. b. veste mutata, vos, inquam pro — — — proiecistis, cum, vestris p. ab l. illo repudiatis, vir* 16. *causa est* 22. *paucis ante annis* 27. *hoc* 29. *quae mihi cum fratre, cum patre eius erat* (*quae mihi cum patre eius erat* b, ut coniecit Madvig.) 31. *civi — — civi* (*cive — — cive* Vat. abcd.)

LECTT. abcd. 6. *preces, amplissimorum civium* a. *preces et amplissimorum civium* c. non bd. 7. *tum quasi* c. Ibid. *amisit. Vos, inquam equites R. et omnes boni veste mutata, vos, inquam pro — — — repudiati estis. Vir* abc. *amisit. Cum venisset ad senatum, vos, inquam, equites R., et omnes boni veste mutata vos, inquam, pro — — — illo repudiatis, vir* d. 10. *Mummius* abcd. 14. *pro me uno cive* abc. non d. 16. *causa est* abc. non d. Ibid. *deprecari se cum* a. *deprecari esset, cum* c. Ut nos, bd. 18. *facta vestis* abc. non d. 26. *qui me consulem cum gladiis in Capitolium duci fecissent* ac. non bd. 27. *coniuratis — — ulciscendis. Si* a. (*Coniuratos v.* d.) *ulciscendis. Si,* d. Ut nos, bc. 27. *hoc* abc. non d. 28. *videte. Illum iam, qui* abc. non d. 29. *quae cum fratre mihi vel cum patre eius erat* ac. *quae mihi cum fratre, cum patre eius erat* d. 30. *in concione lege relegavit* ac. non bd. 31. *abesset M. passus, quod* ab. non cd.

LECTT. MEM. 1. *meque iam* Madvigius. 7. *amisit. Vos, inquam* praefert Madvigius. Cfr. tamen §. 45. *de quo te, te inquam.* §. 121. *me, me ille.* §. 146. *multo mihi, multo, inquam* cet. 16. *deprecarere* BC.

XIII. Quid hoc homine facias? aut quo civem importunum aut potius hostem tam sceleratum reserves? qui, ut omittam cetera, quae sunt ei cum collega immani impuroque coniuncta atque communia, hoc unum habet proprium, ut ex urbe expulerit, relegarit, non dico equitem Romanum, non ornatissumum atque optumum virum, non amicissumum rei publicae civem, non illo ipso tempore una cum senatu et cum bonis omnibus casum amici reique publicae lugentem, sed civem Romanum sine ullo iudicio edicto ex patria consul eiecerit. 30. Nihil acerbius socii et Latini ferre soliti sunt quam se, id quod perraro accidit, ex Urbe exire a consulibus iuberi. Atque illis erat tum reditus in suas civitates, ad suos Lares familiaris et in illo communi incommodo nulla in quemquam propria ignominia nominatim cadebat. Hoc vero quid est? exterminabit civis Romanos edicto consul a suis dis penatibus? expellet ex patria? deliget quem volet? damnabit atque eiiciet nominatim? Hic, si unquam vos eos, qui nunc estis, in re publica fore putasset, si denique imaginem iudiciorum aut simulacrum aliquod futurum in civitate relicum credidisset, unquam ausus esset senatum de re publica tollere, equitum Romanorum preces aspernari, civium denique omnium novis et inauditis edictis ius libertatemque pervertere? 31. Etsi me attentissumis animis, summa cum benignitate auditis, iudices, tamen vereor, ne quis vestrûm forte miretur, quid haec mea oratio tam longa aut tam alte repetita velit aut quid ad P. Sesti causam eorum, qui ante huius tribunatum rem publicam vexarunt, delicta pertineant. Mihi autem hoc propositum est ostendere, omnia consilia P. Sesti mentemque totius tribunatus hanc fuisse, ut adflictae et perditae rei publicae, quantum posset, mederetur. Ac, si in exponendis volneribus illis de me ipso plura dicere videbor, ignoscitote! Nam et illam meam cladem vos et omnes boni maxumum esse rei publicae volnus iudicastis et P. Sestius est reus non suo, sed meo nomine; qui cum omnem vim sui tribunatus in mea salute consumpserit, necessest meam causam praeteriti temporis cum huius praesenti defensione esse coniunctam.

XIV. 32. Erat igitur in luctu senatus; squalebat civitas publico consilio veste mutata; nullum erat Italiae municipium, nulla colonia, nulla praefectura, nulla Romae societas vectigalium, nullum collegium aut concilium aut omnino aliquod commune consilium, quod tum non honorificentissume de mea salute decrevisset, cum subito edicunt duo consules, ut ad suum vestitum senatores redirent. Quis umquam consul senatum ipsius decretis parere prohibuit? quis tyrannus miseros lugere vetuit? Parumne est, Piso, (ut omittam Gabinium) quod tantum homines fefellisti, ut negligeres auctoritatem senatus, optumi cuiusque consilia contemneres, rem publicam proderes, consulare nomen affligeres? etiamne edicere audeas, ne maererent

---

ERN. 1. *aut quo potius* 3. *expulerit ex urbe* 6. *iudicio aut edicto* 7. *socii Latini* Ibid. *se* om. 8. *tum erat* 11. *exp. a patria* 16. *forte vestrum* (*vestrum forte* Vatic. Aad.) 17. *ac tam* (*aut tam* Vatic. ABCd.) 21. *ignoscite* 25. *mutata veste* 28. *decrevisset de mea salute* 32. *audebas*

LECTT. abcd. 1. *aut quo potius* abcd. 3. *expulerit ex urbe* abc. non d. 5. *causam amici* abc. non d. 6. *iud. atque edicto* abc. *iud. aut edicto* d. 7. *acerbius societati inferre* a. *acerbius socii Reatini ferre* c. *ac. socii Latini f.* bd. Ibid. *se* om. abcd. Ibid. *ire* a sola. 8. *consule* a sola. Ibid. *tum erat* abc. non d. 10. *dicto* d sola. 11. *exp. a patria* abcd. Ibid. *patria videlicet quem* ac. non bd. 13. *nunquam* b sola. 15. *evertere* abc. non d. 16. *forte vestrum* bc. non ad. 17. *ac tam* abc. non d. Ibid. *tam alte ac tam longe rep.* a. 18. *m. enim propositum* a. *mihi autem prop.* bc. Ut nos, d. 21. *ignoscite* abc. non d. 25. *mutata veste* abc. non d. 26. *municipium Italiae* a sola. 28. *decrevisset de mea salute* abc. non d.

LECTT. MEM. 27. *aut concilium* suspecta Dobraeo Advv. 2. p. 375. 31. Item *quod tantum homines fefellisti,* in quibus haeserat etiam Hotomanus. Significant: *parumne est, quod tu adeo hominum de te exspectationem fefellisti, ut consul ab iis creatus negligeres* cet. De vv. *tantum, ut* confer Heinrichium ad Lib. 1. de Rep. p. 189. Quod ad lect. *audebas*, a Madvigio fortiter defensam attinet, id unum addidisse meae annotationi in Ed. min. sufficiat, eam tum demum locum habituram fuisse, si Cicero scripsisset aut *parumne erat* aut *fallebas*.

homines meam, suam, rei publicae calamitatem neve hunc suum dolorem veste significarent? Sive illa vestis mutatio ad luctum ipsorum sive ad deprecandum valebat, quis unquam tam crudelis fuit, qui prohiberet quemquam aut sibi maerere aut ceteris supplicare? 33. Quid? sua sponte homines in amicorum periculis vestitum mutare non solent? pro te ipso, Piso, nemone mutabit? ne isti quidem, quos legatos non modo nullo senatus consulto, set etiam repugnante senatu, tibi tute legasti? Ergo hominis desperati et proditoris rei publicae casum lugebunt fortasse, qui volent: civis florentissumi benevolentia bonorum et optume de salute patriae meriti periculum coniunctum cum periculo civitatis lugere senatui non licebit? Iidem consules, (si appellandi sunt consules, quos nemo est, quin non modo ex memoria, sed etiam ex fastis evellendos putet,) pacto iam foedere provinciarum, producti in circo Flaminio in contionem ab illa furia ac peste patriae, maximo cum gemitu vestro illa omnia, quae tum contra me contraque rem publicam . . . . . , voce ac sententia sua comprobaverunt.

XV. Isdem consulibus sedentibus atque inspectantibus lata lex est, NE AUSPICIA VALERENT, NE QUIS OBNUNTIARET, NE QUIS LEGI INTERCEDERET: UT OMNIBUS FASTIS DIEBUS LEGEM FERRI LICERET: UT LEX AELIA, LEX FUFIA NE VALERET: qua una rogatione quis est qui non intellegat universam rem publicam esse deletam? 34. Isdem consulibus inspectantibus servorum delectus habebantur pro tribunali Aurelio nomine collegiorum, cum vicatim homines conscriberentur, decuriarentur, ad vim, ad manus, ad caedem, ad direptionem incitarentur. Isdem consulibus arma in templo Castoris palam comportabantur, gradus eiusdem templi tollebantur; armati homines forum et contiones tenebant; caedes lapidationesque fiebant; nullus erat senatus, nihil relicui magistratus: unus omnem omnium potestatem armis et latrociniis possidebat, non aliqua vi sua, sed cum duo consules a re publica provinciarum foedere retraxisset, insultabat, dominabatur, aliis pollicebatur, terrore ac metu multos, pluris etiam spe et promissis tenebat. 35. Quae cum essent eiusmodi, iudices, cum senatus duces nullos ac pro ducibus proditores aut potius apertos hostis haberet, equester ordo reus a consulibus citaretur, Italiae totius auctoritas repudiaretur, alii nominatim relegarentur, alii metu et periculo terrerentur, arma essent in templis, armati in foro, eaque non silentio consulum dissimularentur, sed et voce et sententia comprobarentur; cum omnes Urbem nondum excisam et eversam, set iam captam atque oppressam videremus, tamen his tantis malis tanto bonorum studio, iudices, restitissemus: set me alii metus atque aliae curae suspicionesque moverunt.

XVI. 36. Exponam enim hodierno die, iudices, omnem rationem facti et consili mei: neque huic vestro tanto studio audiendi nec vero huic tantae multitudini, quanta meâ memoriâ numquam ullo in iudicio fuit, deero. Nam, si ego in causa tam bona, tanto studio senatus, consensu tam incredibili bonorum omnium, tam parato, tota denique Italia ad omnem contentionem expedita cessi tribuni pl., despicatissumi hominis, furori, contemptissumorum consulum levitatem audaciamque pertimui, nimium me timidum, nullius animi, nullius consili fuisse

ERN. 1. *ne hunc* 5. *mutavit* 6. *tute tibi* 9. *qui* 12. *remp. dixerat, voce* 19. *templum* (*templo* ABCa.) 26. *ac* (*et* BC.) 32. *neque vero*

LECTT. abcd. 1. *suam, meam* a sola. Ibid. *veste mutata signif.* abc. non d. 5. *mutavit* abcd. 6. *tute tibi* abc. non d. 9. *qui* abcd. 10. *ev. non putet* abcd. 11. *quae tam contra me quam contra remp.* ac. non bd. 12. *remp. dixerant, voce* abcd. 14. *lege* abc. non d. Ibid. *festis* abc. non d. 15. *lex Helia, lex Fusia* abcd. Ibid. *una* om. b sola. 18. *circumscriberentur* a sola. 19. *portabantur* a sola. 21. *omnem* om. abc. non d. 26. *ac* abcd. 32. *nec huic* a. *neque vero huic* a. *nec huic* c. Ut nos, d. 33. *fuerit* abc. non d. Ibid. *in bona causa* a sola. 36. *nimium* om. ac. non bd.

LECTT. MEM. 5. V. *legatos* suspecta I. F. Gronovio et Madvigio. 12. *remp. fiebant, voce* C. et Carolus Stephanus; sed potius supplendum: *remp. ferebantur, voce.* Or.

confiteor. 37. Quid enim simile fuit in Q. Metello? quoius causam etsi omnes boni probabant, tamen neque senatus publice neque ullus ordo proprie neque suis decretis Italia cuncta susceperat. Ad suam enim quandam magis ille gloriam quam ad perspicuam salutem rei publicae tum spectarat, cum unus in legem per vim latam iurare noluerat: denique videbatur ea condicione tam fortis fuisse, ut cum patriae caritate constantiae gloriam commutaret. Erat autem res ei cum exercitu C. Mari invicto, habebat inimicum C. Marium, conservatorem patriae, sextum iam illum consulatum gerentem; res erat cum L. Saturnino, iterum tribuno pl., vigilante homine et in causa populari si non moderate, at certe populariter abstinenterque versato. Cessit, ne aut victus a fortibus viris cum dedecore caderet aut victor multis et fortibus civibus rem publicam orbaret. 38. Meam causam senatus palam, equester ordo acerrime, cuncta Italia publice, omnes boni proprie enixeque susceperant. Eas res gesseram, quarum non unus auctor, set dux omnium voluntatis fuissem, quaeque non modo ad singularem meam gloriam, set ad communem salutem omnium civium et prope gentium pertinerent; ea condicione gesseram, ut meum factum semper omnes praestare tuerique deberent.

XVII. Erat autem mihi contentio non cum victore exercitu, set cum operis conductis et ad diripiendam Urbem concitatis. Habebam inimicum non C. Marium, terrorem hostium, spem subsidiumque patriae: set duo importuna prodigia, quos egestas, quos aeris alieni magnitudo, quos levitas, quos improbitas tribuno pl. constrictos addixerat. 39. Nec mihi erat res cum Saturnino, qui, quod a se quaestore Ostiensi per ignominiam ad principem et senatus et civitatis, M. Scaurum, rem frumentariam translatam sciebat, dolorem suum magna contentione animi persequebatur: set cum scurrarum locupletium scorto, cum sororis adultero, cum stuprorum sacerdote, cum venefico, cum testamentario, cum sicario, cum latrone: quos homines, si, id quod facile factu fuit et quod fieri debuit quodque a me optumi et fortissumi cives flagitabant, vi armisque superassem, non verebar, ne quis aut vim vi depulsam reprehenderet aut perditorum civium vel potius domesticorum hostium mortem maereret. Set me illa moverunt: omnibus in contionibus illa furia clamabat se, quae faceret contra salutem meam, facere auctore Cn. Pompeio, clarissumo viro mihique et nunc et quoad licuit amicissumo. M. Crassus, quocum mihi omnes erant amicitiae necessitudines, vir fortissumus, ab eadem illa peste infestissumus esse meis fortunis praedicabatur. C. Caesar, qui a me nullo meo merito alienus esse debebat, inimicissumus esse meae saluti ab eodem quotidianis contionibus dicebatur. 40. His se tribus auctoribus in consiliis capiendis, adiutoribus in re gerenda esse usurum dicebat; ex quibus unum habere exercitum in Italia maxumum: duo, qui privati tum essent, et . . . praeesse et parare, si vellent, exercitum posse idque facturos esse dicebat. Nec mihi ille iudicium populi nec legitimam aliquam contentionem nec disceptationem aut causae dictionem, sed vim arma exercitus imperatores castra denuntiabat.

ERN. 2. *It. tota susc.* 3. *magis quandam* 4. *reip. sumpserat* 6. *ei res* 13. *salutem communem* 18. *res erat* 24. *repulsam* 28. *erant omnes*

LECTT. abcd. 1. *in M. Metello* abc. non d. 2. *It. tota susc.* abcd. 3. *quandam* om. abc. *magis quandam* c. 4. *reip. spectarat* abcd. Recepi Madvigii coni. 5. *vid. hac conditione* a sola. 6. *erat enim huic res cum* ac. *erat autem ei res cum* b. Ut nos, d. 9. *populariter agente, attamen nec tergiversatus cessit, ne aut* abc non d. 11. *omnes boni enixe susc.* a sola. 13. *ad salutem communem* abc. non d. 18. *res erat* abc. non d. 19. *qui quidem a quaestore* a sola. 21. *dolorem — — persequebatur* om. a sola. Ibid. *locupletum* abcd. 24. *repulsam* abcd. 28. *erant omnes* abc. non d. 32. *maximum in Italia* abc. non d. Ibid. *qui privati essent et praeessent et pararent* a sola.

LECTT. MEM. 32. *et rei publicae praeesse* Orellius probante Madvigio.

XVIII. Quid ergo? inimici oratio, vana praesertim, tam improbe in clarissumos viros coniecta me movit? Me vero non illius oratio, set eorum taciturnitas, in quos illa oratio tam improba conferebatur; qui tum, quamquam ob alias causas tacebant, tamen hominibus omnia timentibus tacendo loqui, non infitiando confiteri videbantur. Illi autem aliquo tum timore perterriti, quod acta illa atque omnes res anni superioris labefactari a praetoribus, infirmari a senatu atque principibus civitatis putabant, tribunum popularem a se alienare nolebant, suaque sibi propiora pericula esse quam mea loquebantur. 41. Set tamen et Crassus a consulibus meam causam suscipiendam esse dicebat et eorum fidem Pompeius implorabat neque se privatum publice susceptae causae defuturum esse dicebat: quem virum studiosum mei, cupidissumum rei publicae conservandae, domi meae certi homines ad eam rem positi monuerunt, ut esset cautior; eiusque vitae a me insidias aput me domi positas esse dixerunt atque hanc ei suspicionem alii litteris mittendis, alii nuntiis, alii coram ipsi excitaverunt, ut ille, cum a me certe nihil timeret, ab illis, ne quid meo nomine molirentur, sibi cavendum putaret. Ipse autem Caesar, quem maxume homines ignari veritatis mihi esse iratum putabant, erat ad portas, erat cum imperio, erat in Itatia eius exercitus inque eo exercitu ipsius tribuni pl., inimici mei, fratrem praefecerat.

XIX. 42. Haec ergo cum viderem (neque enim erant occulta) senatum, sine quo civitas stare non posset, omnino de civitate esse sublatum; consules, qui publici consili duces esse deberent, perfecisse, ut per ipsos publicum consilium funditus tolleretur; eos, qui plurumum possent, opponi omnibus contionibus falso, sed formidolose tamen, auctores ad perniciem meam; contiones haberi quotidie contra me; vocem pro me ac pro re publica neminem mittere; intenta signa legionum existimari cervicibus ac bonis vestris falso, sed putari tamen; coniuratorum copias veteres et effusam illam ac + superatam Catilinae importunam manum novo duce et insperata commutatione rerum esse renovatam: — haec cum viderem, quid agerem, iudices? 43. scio enim tum non mihi vestrum studium, sed meum prope vestro defuisse. Contenderem contra tribunum pl. privatus armis? Vicissent improbos boni, fortes inertis: interfectus esset is, qui hac una medicina sola potuit a rei publicae peste depelli. Quid deinde? quis relicua praestaret? Cui denique erat dubium, quin ille sanguis tribunicius, nullo praesertim publico consilio profusus, consules ultores et defensores esset habiturus? cum quidam in contione dixisset aut mihi semel pereundum aut bis esse vincendum. Quid erat „bis vincere“? Id profecto, ut, cum amentissumo tribuno pl. cum decertassem, cum consulibus ceterisque

---

ERN. 3. *aliam causam* 10. [*domi meae*] Ibid. *compositi* 17. *ego* 23. *fusam* Ibid. [*ac superatam*] Ibid. *manum importunam* 28. *quid reliquiarum restaret? quid denique* (Nostra lectio etiam a Madvigio probata, debetur Gulielmo.) 29. *quidem* (*quidam* Vat.)

LECTT. abcd. 2. *non movit illius* abcd. 3. *aliam causam* abc. non d. 4. *inficiendo* c sola. Ibid. *illi enim mali timore* ac. non bd. 5. *superioris anni* ab. non cd. 6. *alienari* abc. non d. 7. *nolebant. Et tamen et Crassus* a. Ibid. *putabant suaque sibi propiora pericula esse quam mea loquebantur. Tribunum popularem a se alienari nolebant. Sed tamen* c. Ibid. *esse pericula* d sola. 8. *Crassus et consulibus* bc. 9. *publice causae susceptae* a. *publicae causae susceptae* bc. non d. 10. *servandae* a sola. Ibid. *homines compositi* ab. *domi meae certi ad rem positi* c. Ut nos, d. 12. *hanc eius* d sola. 13. *tot ille* a sola. 14. *putaret L. ipse Caesar* a sola. Ibid. *ignari homines* abc. non d. 15. *erat ad portas cum imperio* abc. non d. 17. *ego* abc. non d. 20. *sed et formid.* a sola. 23. *veteres copias* abcd. Ibid. *manum importunam* abc. non d. 28. Ut Ern., abcd. 29. *consules auctores* a. *consules tutores* c. Ut nos, bd. Ibid. *quidem* abcd. 31. *cum ament. cum tribuno pl. dec.* a sola.

LECTT. MEM. 23. In eandem atque ego coni. *ac dissipatam* incidit etiam Dobraeus Advv. T. 2. Londini 1833 p. 375.

eius ultoribus dimicarem. 44. Ego vero, vel si mihi pereundum fuisset, ac non accipienda plaga sanabilis, illi mortifera, qui eam imposuisset, semel perire tamen, iudices, maluissem quam bis vincere. Erat enim illa altera eiusmodi contentio, ut neque victi neque victores rem publicam tenere possemus. Quid? si in prima contentione vi tribunicia victus in foro cum multis bonis viris concidissem? Senatum consules, credo, vocassent, quem totum de civitate delerant; ad arma vocarent, qui ne vestitu quidem defendi rem publicam sissent: a tribuno pl. post interitum meum dissidissent, qui eandem horam meae pestis et suorum praemiorum esse voluissent.

XX. 45. Unum enim mihi restabat illud, quod forsitan non nemo vir fortis et acris animi magnique dixerit: „Restitisses, repugnasses, mortem pugnans oppetisses.“ De quo te, te, inquam, patria, testor et vos, penates patriique dii, me vestrarum sedium templorumque causa, me propter salutum meorum civium, quae mihi semper fuit mea carior vita, dimicationem caedemque fugisse. Etenim si mihi in aliqua nave cum meis amicis naviganti hoc, iudices, accidisset, ut multi ex multis locis praedones classibus eam navem se oppressuros minitarentur, nisi me unum sibi dedidissent, si id vectores negarent ac mecum simul interire quam me tradere hostibus mallent, iecissem ipse me potius in profundum, ut ceteros conservarem, quam illos mei tam cupidos non modo ad certam mortem, set in magnum vitae discrimen adducerem. 46. Cum vero in hanc rei publicae navem ereptis senatui gubernaculis fluitantem in alto tempestatibus seditionum ac discordiarum armatae tot classes, nisi ego essem unus deditus, incursurae viderentur, cum proscriptio, caedes, direptio denuntiaretur, cum alii me suspicione periculi sui non defenderent, alii vetere odio bonorum incitarentur, alii inviderent, alii obstare sibi me arbitrarentur, alii ulcisci dolorem aliquem suum vellent, alii rem ipsam publicam atque hunc bonorum statum otiumque odissent et ob hasce causas tot tamque varias me unum deposcerent, depugnarem potius cum summo non dicam exitio, set periculo certe vestro liberorumque vestrorum, quam non id, quod omnibus impendebat, unus pro omnibus susciperem ac subirem?

XXI. 47. „Victi essent improbi.“ — At cives, at ab eo privato, qui sine armis rem publicam etiam consul conservarat. Sin victi essent boni, quid superesset? non ad servos videtis rem

---

ERN. 1. *Ego vero, si mihi uni pereundum non fuisset, ac modo accipienda plaga, mihi sanabilis, illis mortifera, qui eam imposuissent.* (*Ego vero, vel si* cet. Madvigius e vestigiis codicum.) 6. *vocassent* 11. *sedum* 16. *me ipse potius* 19. *unus deditus essem* 20. *denuntiarentur* 22. *suum aliquem* 28. *etiam consul rem publicam*

LECTT. abcd. 1. *Ego vero, si mihi uni pereundum fuisset, ac non accipienda plaga mihi insanabilis illa mortifera quam reip. imposuisset* abc. *Ego vero, si mihi uni pereundum fuisset, ac non accipienda plaga mihi insanabilis, illi mortifera, quam reip. imposuissem* (sic) d. 3. *illa altera eiusmodi contentio illa* ab. *erat enim altera eiusmodi contentio illa* c. Ut nos, d. 5. *deiecerant* ac. non bd. 6. *ne vestitum quidem defendissent reip. a tribuno pl. post interitum dissidissent* a. Item c, sed: *post interitum meum dissedissent.* Ibid. *sivissent* b. 7. *meum* om. ad. Ibid. *dissedissent* bc. 11. *inquam tete* a sola. Ibid. *obtestor* abc. non d. 15. *minarentur* b sola. 17. *me potius ipse* a. *me ipse potius* bc. Ut nos, d. 19. *unus deditus essem* abc. non d. 20. *denuntiarentur* abcd. 22. *suum aliquem* abc. non d. 25. *quod etiam omnibus* ac. non bd. 28. *etiam consul rem publicam* d. sola. Ibid. *qui superessent* d. sola. (Nostra lectio aptissime significat „quid restaret, quid praeterea nos maneret?“ Neque, ut ait Madvigius, „id tantummodo superest, quod ex interitu conservatum est:“ contrarium sane demonstrat cum illud Lucretii, Ciceronis, Horatii *quod superest* pro *ceterum*, tum praesertim ad Attic. 3, 4 *sed quod superest timemus.*) Ibid. *rem publicam venturam* abc. (non d.) id quod unice probat Madvigius. Commode vero Muellerus in Curis sec. p. 61. attulit de Rep, I. 34. *difficultas ineundi consilii rem a rege ad plures — — transtulit* et manifestam nostri loci imitationem in declamat. pro domo §. 92. *ad servos medius fidius res pervenisset.*

LECTT. MEM. 25. *quam id* Madvig. coni. Sed Graecae (*μᾶλλον ἢ οὐ* cfr. Matthiaeum §. 455.) et Germanicae linguae analogia satis vindicat negationem. Rectissime igitur Wolff: *hätte ich kämpfen lieber — — als nicht das, was allen drohete, — — erdulden sollen?*

venturam fuisse? — An mihi ipsi, ut quidam putant, fuit mors aequo animo oppetenda? — Quid? tum mortemne fugiebam? an erat res ulla, quam mihi magis optandam putarem? aut ego illas res tantas in tanta improborum multitudine cum gerebam, non mihi mors, non exilium ob oculos versabatur? non haec denique a me tum tamquam fata in ipsa re gerenda canebantur? an erat mihi in tanto luctu meorum, tanta disiunctione, tanta acerbitate, tanta spoliatione omnium rerum, quas mihi aut natura aut fortuna dederat, vita retinenda? tam eram rudis, tam ignarus rerum? tam expers consili aut ingeni? nihil audieram? nihil videram? nihil ipse legendo quaerendoque cognoveram? nesciebam vitae brevem esse cursum, gloriae sempiternum? cum esset omnibus definita mors, optandum esse, ut vita, quae necessitati deberetur, patriae potius donata quam reservata naturae videretur? nesciebam inter sapientissumos homines hanc contentionem fuisse, ut alii dicerent animos hominum sensusque morte restingui, alii autem tum maxume mentis sapientium ac fortium virorum, cum e corpore excessissent, sentire ac vigere? quorum alterum fugiendum non esse, carere sensu: alterum etiam optandum, meliore esse sensu. 48. Denique, cum omnia semper ad dignitatem rettulissem nec sine ea quidquam expetendum esse homini in vita putassem, mortem, quam etiam virgines Athenis, regis opinor, Erechthei filiae, pro patria contempsisse dicuntur, ego vir consularis tantis rebus gestis timerem? praesertim cum eius essem civitatis, ex qua C. Mucius solus in castra Porsennae venisset eumque interficere proposita sibi morte conatus esset? ex qua P. Decius primum pater, post aliquot annos patria virtute praeditus filius se ac vitam suam instructa acie pro salute populi Romani victoriaque devovisset? ex qua innumerabiles alii partim adipiscendae laudis, partim vitandae turpitudinis causa mortem in variis bellis aequissumis animis oppetissent? in qua civitate ipse meminissem patrem huius M. Crassi, fortissumum virum, ne videret victorem vivos inimicum, eadem sibi manu vitam exhausisse, qua mortem saepe hostibus obtulisset?

XXII. 49. Haec ego et multa alia cogitans hoc videbam, si causam publicam mea mors peremisset, neminem umquam fore, qui auderet suscipere contra improbos civis salutem rei publicae. Itaque non solum si vi interissem, sed etiam si morbo exstinctus essem, fore putabam, ut exemplum rei publicae conservandae mecum simul interiret. Quis enim unquam me a senatu populoque Romano tanto bonorum omnium studio non restituto, (quod certe, si essem interfectus, accidere non potuisset,) ullam rei publicae partem cum sua minuma invidia auderet attingere? Servavi igitur rem publicam discessu meo, iudices: caedem a vobis liberisque vestris, vastitatem, incendia, rapinas meo dolore luctuque depuli et unus rem publicam bis servavi, semel gloria, iterum aerumna mea. Neque enim in hoc me hominem esse infitiabor umquam, ut me optumo fratre, carissumis liberis, fidissuma coniuge, vestro conspectu, patria, hoc honoris gradu sine dolore caruisse glorier. Quod si fecissem, quod a me beneficium haberetis, cum pro vobis ea, quae mihi essent vilia, reliquissem? Hoc meo quidem animo summi in patriam amoris mei signum esse debet certissumum, quod, cum abesse ab ea sine summo dolore non possem, hunc me perpeti quam illam labefactari ab improbis malui.

ERN. 4. *versabantur* 17. *Q. Mucius* 23. *vivos* om. 25. *reip. salutem* 28. *omnium bonorum* 32. *bis remp.* 33. *fidelissima* 37. *non possem sine summo dolore*

LECTT. abcd. 4. *versabantur* abc. non d. 5. *concinebantur* abcd. Ibid. *meorum, in tanta disi.* abc. non d. 8. *vitam brevem esse, cursum gloriae* a sola. 17. *Q. Mucius* abcd. 25. *reip. salutem* abcd. 28. *nunc restituto omnia adire pericula pro re publica dubitabit quod* abc. non d. 29. *nunquam accidere potuisset, ut quisquam ullam* abc. non d. 32. *hominem in hoc me inf.* a. *hominem inf.* bc. non d. 37. *non possem sine summo dolore* abc. non d.

LECTT. MEM. 1. Fort.: *At — — oppetenda.* 4. *exitium* Muellerus probante Madvigio. At vide Ed. meam minorem et pro Archia 6, 14. *omnia pericula mortis atque exili.*

50. Memineram, iudices, divinum illum virum atque ex isdem, quibus nos, radicibus natum ad salutem imperi huius, C. Marium, summa senectute, cum vim prope iustorum armorum profugisset, primo senile corpus paludibus occultasse demersum, deinde ad infumorum ac tenuissumorum hominum Minturnis misericordiam confugisse, inde navigio perparvo, cum omnis portus terrasque fugeret, in oras Africae desertissumas pervenisse. Atque ille vitam suam, ne inultus esset, ad incertissumam spem et ad rei publicae fatum reservavit: ego, qui (quemadmodum multi in senatu me absente dixerunt) periculo rei publicae vivebam quique ob eam causam consularibus litteris de senatus sententia exteris nationibus commendabar, nonne, si meam vitam deseruissem, rem publicam prodidissem? In qua quidem nunc me restituto vivit mecum simul exemplum fidei publicae. Quod si immortale retinetur, quis non intellegit immortalem hanc civitatem futuram?

XXIII. 51. Nam externa bella regum, gentium, nationum iampridem ita exstincta sunt, ut praeclare cum iis agamus, quos pacatos esse patiamur. Denique ex bellica victoria non fere quemquam est invidia civium consecuta. Domesticis malis et audacium civium consiliis saepe est resistendum eorumque periculorum est in re publica retinenda medicina; quam omnem, iudices, perdidissetis, si meo interitu senatui populoque Romano doloris sui de me declarandi potestas esset erepta. Quare moneo vos, adulescentes, atque hoc meo iure praecipio, qui dignitatem, qui rem publicam, qui gloriam spectatis, ne, si qua vos aliquando necessitas ad rem publicam contra improbos civis defendendam vocabit, segniores sitis et recordatione mei casus a consiliis fortibus refugiatis. 52. Primum, non est periculum, ne quis unquam incidat in eiusmodi consules, praesertim si erit his id, quod debetur, persolutum. Deinde numquam iam, ut spero, quisquam improbus consilio et auxilio bonorum se oppugnare rem publicam dicet illis tacentibus, nec armati exercitus terrorem opponet togatis; neque erit iusta causa ad portas sedenti imperatori, quare suum terrorem falso iactari opponique patiatur. Numquam enim erit tam oppressus senatus, ut ei ne supplicandi quidem ac lugendi sit potestas, tam captus equester ordo, ut equites Romani a consule relegentur. Quae cum omnia atque etiam multo alia maiora, quae consulto praetereo, accidissent, videtis me tamen in meam pristinam dignitatem brevi tempore doloris interiecto rei publicae voce esse revocatum.

XXIV. 53. Set, ut revertar ad illud, quod mihi in hac omni est oratione propositum, omnibus malis illo anno scelere consulum rem publicam esse confectam, primum illo ipso die, qui mihi funestus fuit, omnibus bonis luctuosus, cum ego me e complexu patriae conspectuque vestro eripuissem et metu vestri periculi, non mei, furori hominis, sceleri perfidiae, telis minisque cessissem patriamque, quae mihi erat carissuma, propter ipsius patriae caritatem reliquissem; cum meum illum casum tam horribilem, tam gravem, tam repentinum non solum homines, set tecta Urbis ac templa lugerent, nemo vestrûm forum, nemo curiam, nemo lucem adspicere vellet: illo, inquam, ipso die, die dico? immo hora atque etiam puncto

---

ERN. 6. *statum* 10. *exemplum fidei publicae; exemplum rei publicae defendendae*, (*exemplum rei publ. defend.* om. ABCabc.) 21. *ne qui unquam sint in civitate eiusmodi consules* 24. *terrorem suum* (*suum terrorem* A.) 28. *pristinam meam* Ibid. *brevis temporis dolore*

LECTT. abcd. 2. *prope vim* abc. non d. 6. *statum* abcd. 9. *in quo* abcd. 10. Ut Ern., d. 11. *intelliget* d. sola. 13. *cum his* ad. non bc. 14. *non fere quem est* a. *non fere quicquam est* b. Ut nos, cd. 15. *periculo* ad. non bc. 21. Ut Ern., ab. non cd. Ibid. *iis id* abcd. 22. *iam* om. abc. non d. 24. *terrorem suum* abcd. Ibid. *falso* om. ab. non cd. 28. *pristinam meam* abc. non d. Ibid. *brevi temporis dolore* abcd. 31. *e* om. a sola. 32. *periculi vestri* abcd.

LECTT. MEM. 25. *numquam autem* Garatonius, *numquam denique* Madvigius.

temporis eodem mihi reique publicae pernicies, Gabinio et Pisoni provincia rogata est. Pro dii immortales, custodes et conservatores huius Urbis atque imperi! quaenam illa in re publica monstra, quae scelera vidistis! Civis erat expulsus is, qui rem publicam ex senatus auctoritate cum omnibus bonis defenderat, et expulsus non alio aliquo, sed eo ipso crimine. Erat autem expulsus sine iudicio, vi lapidibus ferro servitio denique concitato; lex erat lata vastato ac relicto foro et sicariis servisque tradito, et ea lex, quae ut ne ferretur, senatus fuerat veste mutata. 54. Hac tanta perturbatione civitatis ne noctem quidem consules inter meum *casum* et suam praedam interesse passi sunt: statim me perculso ad meum sanguinem hauriendum et spirante etiam re publica ad eius spolia detrahenda advolaverunt. Omitto gratulationes epulas, partitionem aerari beneficia, spem promissa, praedam laetitiam paucorum in luctu omnium. Vexabatur uxor mea; liberi ad necem quaerebantur; gener, et Piso gener, a Pisonis consulis pedibus supplex reiiciebatur; bona diripiebantur eaque ad consules deferebantur; domus ardebat in Palatio: consules epulabantur. Quod si meis incommodis laetabantur, Urbis tamen periculo commoverentur!

XXV. 55. Set, ut a mea causa iam recedam, relicuas illius anni pestis recordamini: sic enim facillume perspicietis, quantam vim omnium remediorum a magistratibus proxumis res publica desiderarit: legum multitudinem, cum earum, quae latae sunt, tum vero, quae promulgatae fuerunt. Nam latae quidem sunt consulibus illis, tacentibus dicam? immo vero etiam approbantibus: ut censoria notio et gravissumum iudicium sanctissumi magistratus de re publica tolleretur; ut collegia non modo illa vetera contra senatus consultum restituerentur, set ab uno gladiatore innumerabilia alia nova conscriberentur; ut remissis semissibus et trientibus quinta prope pars vectigalium tolleretur; ut Gabinio pro illa sua Cilicia, quam sibi, si rem publicam prodidisset, pactus erat, Syria daretur; ut uni helluoni bis de eadem re deliberandi *esset potestas* et rogata *lege* legem ferret provinciae commutandae.

XXVI. 56. Mitto eam legem, quae omnia iura religionum auspiciorum potestatum, omnis leges, quae sunt de iure et de tempore legum rogandarum, una rogatione delevit; mitto omnem domesticam labem: etiam exteras nationes illius anni furore conquassatas videbamus. Lege tribunicia Matris Magnae Pessinuntius ille sacerdos expulsus et spoliatus sacerdotio est fanumque sanctissumarum atque antiquissumarum religionum venditum pecunia grandi Brogitaro, impuro homini atque indigno illa religione, praesertim cum ea sibi ille non colendi, set violandi causa appetisset; appellati reges a populo, qui id numquam ne a senatu quidem postulassent; reducti exsules Byzantium condemnati tum, cum indemnati cives e civitate eiiciebantur; 57. rex Ptolemaeus, qui, si nondum erat ipse a senatu socius appellatus, erat tamen frater eius regis, qui, cum esset in eadem causa, iam erat a senatu honorem istum consecutus, erat eodem genere iisdemque maioribus, eadem vetustate societatis; denique erat rex, si nondum socius, at non hostis; pacatus quietus fretus imperio populi Romani regno pa-

---

ERN. 8. *inter meum discrimen et eorum praedam* 19. *approbantibus etiam* 24. *deliberandi et rogata lege potestas fieret pr. c.* (Ut nos, Aldus, abc., sed *ut rog.* Libri mance: *deliberandi et rogata legem fieret pr. c.*)

LECTT. abcd. 5. *vi* om. abc. non d. 6. *ut* om. ac. non bd. 8. Ut Ern., acd. *inter meum discrimen et suam praedam* b. 18. *fuerunt, dicam? Nam latae sunt coss. illis tacentibus? immo* ac. *fuerunt, dicam? nam latae quidem sunt coss. illis tacentibus, immo* d. Ut nos, b., nisi quod omittit v. *quidem.* 19. *approbantibus etiam* abc. non d. Ibid. *notatio* abcd. 20. *tolleretur de rep.* abc. non d. 23. *et uni* d sola. 24. *ut rogata* abc. Ut Ern., d. 25. *religionum iura* abc. non d. Ibid. *potestatem* c sola. 34. *in eadem causa iam perorata a senatu* a sola.

LECTT. MEM. 8. *inter meum exitum et praedam* Madvigius. „Dubia," inquit ipse, „emendatio est." 23. *et uni* ABd. Sed obstat sequens *et* atque consulto legum numerum videtur augere voluisse.

terno atque avito, regali otio perfruebatur: de hoc nihil cogitante, nihil suspicante, eisdem operis suffragium ferentibus est rogatum, ut sedens cum purpura et sceptro et illis insignibus regiis praeconi publico subiiceretur et imperante populo Romano, qui etiam bello victis regibus regna reddere consuevit, rex amicus nulla iniuria commemorata, nullis rebus repetitis cum bonis omnibus publicaretur.

XXVII. 58. Multa acerba, multa turpia, multa turbulenta habuit ille annus: tamen illi sceleri, quod in me illorum immanitas edidit, haud scio, an recte hoc proxumum esse dicam. Antiochum Magnum illum maiores nostri magna belli contentione terra marique superatum intra montem Taurum regnare iusserunt: Asiam, qua illum multarunt, Attalo, ut is regnaret in ea, condonaverunt. Cum Armeniorum rege Tigrane grave bellum perdiuturnumque gessimus, cum ille iniuriis in socios nostros inferendis bello prope nos lacessisset. Hic et ipse per se vehemens fuit et acerrumum hostem huius imperi Mithridatem pulsum Ponto opibus suis regnoque defendit et a L. Lucullo, summo viro atque imperatore, pulsus animo tamen hostili cum reliquis suis copiis in pristina mente mansit. Hunc Cn. Pompeius, cum in suis castris supplicem abiectum vidisset, erexit atque insigne regium, quod ille de suo capite abiecerat, reposuit et certis rebus imperatis regnare iussit nec minus et sibi et huic imperio gloriosum putavit constitutum a se regem quam constrictum videri. 59. + Tulit, gessit, qui et ipse hostis fuit populi Romani et acerrumum hostem in regnum recepit, qui conflixit, qui signa contulit, qui de imperio paene certavit, regnat hodie et amicitiae nomen ac societatis, quod armis violarat, id precibus est consecutus: ille Cyprius miser, qui semper amicus, semper socius fuit, de quo nulla unquam suspicio durior aut ad senatum aut ad imperatores allata nostros est, vivos (ut aiunt) est et videns cum victu ac vestitu suo publicatus. En, cur ceteri reges stabilem esse suam fortunam arbitrentur, cum hoc illius funesti anni prodito exemplo videant per tribunum aliquem et sexcentas operas se fortunis spoliari et regno omni posse nudari!

XXVIII. 60. At etiam eo negotio M. Catonis splendorem maculare voluerunt, ignari, quid gravitas, quid integritas, quid magnitudo animi, quid denique virtus valeret, quae in tempestate saeva quieta est et lucet in tenebris et pulsa loco manet tamen atque haeret in patria splendetque per sese semper neque alienis unquam sordibus obsolescit. Non illi ornandum M. Catonem, set relegandum, nec illi committendum illud negotium, set imponendum putaverunt, qui in contione palam dixerint linguam se evellisse M. Catoni, quae semper contra extraordinarias potestates libera fuisset. Sentient, ut spero, brevi tempore, manere libertatem illam atque hoc etiam, si fieri potuerit, esse maiorem, quod cum consulibus illis M. Cato, etiam cum iam desperasset aliquid auctoritate sua profici posse, tamen voce ipsa ac dolore pugnavit et post meum discessum iis Pisonem verbis flens meum et rei publicae casum vexa-

---

ERN. 4. *repetitis rebus* 8. *illum Magnum* 13. *a Lucullo* (*L.* add. Madvigius.) 14. *copiis suis* 15. *abiectumque* 16. *imperatis certis rebus* 17. Absunt vv. *tulit, gessit.* 20. *semper socius, semper amicus* 22. *nostros allata* 28. *per se* 31. *fuisset. Tulit, gessit. Sed sentient* 32. *poterit*

LECTT. abcd. 4. *repetitis rebus* abc. non d. 7. *hoc recte* abc. non d. Ibid. *dicamus* d sola. 8. *illum Magnum* abc. non d. 10. *diuturnumque* c sola. 13. *a Lucullo* abcd. 14. *copiis suis* abcd. 15. *abiectumque* abc. non d. 16. *imperatis certis rebus* abc. *certis imperatis rebus* d. 20. *quoad armis* d sola. Ibid. *semper socius, semper amicus* abc. non d. 21. *durior ad sen.* ac. non bd. 22. *nostros allata* abcd. 23. *perdito exemplo* cd. non ab. 26. *valeret quae in tempestate quieta* ac. *valeret. quid quae in tempestate quieta* b. Ut nos, d. 28. *per se* bd. non ac. 29. *sed relegandum ad illud negotium putaverunt, qui* a sola. 32. *poterit* abcd. Ibid. *mai. quam cum* c sola. 33. *perficere* ad. *proficere* bc. 34. *his* ad. non bc.

LECTT. MEM. 17. *Tigranes igitur* nescio qui apud Manutium. Sed requiritur potius: *Talis ergo rex* vel simile quid. 27. *atque exsul haeret in patria* Dobraeus Advv. 2. p. 375.

vit, ut illum hominem perditissumum atque impudentissumum paene iam provinciae poeniteret. 61. Cur igitur rogationi paruit? — Quasi vero ille non in alias quoque leges, quas iniuste rogatas putaret, iam ante iurarit! Non offert se ille istis temeritatibus, ut, cum rei publicae nihil prosit, se cive rem publicam privet. Consule me cum esset designatus tribunus pl., obtulit in discrimen vitam suam; dixit eam sententiam, cuius invidiam capitis periculo sibi praestandam videbat; dixit vehementer; egit acriter; ea, quae sensit, prae se tulit; dux auctor actor rerum illarum fuit: non quo periculum suum non videret, set in tanta rei publicae tempestate nihil sibi nisi de patriae periculis cogitandum putabat.

XXIX. 62. Consecutus est ipsius tribunatus. Quid ego de singulari magnitudine animi eius ac de incredibili virtute dicam? Meministis illum diem, cum templo a collega occupato nobis omnibus de vita eius viri et civis timentibus, ipse animo firmissumo venit in templum et clamorem hominum auctoritate, impetum improborum virtute sedavit. Adiit tum periculum, set adiit ob eam causam, quae quanta fuerit, iam mihi dicere non est necesse. At si isti Cypriae rogationi sceleratissumae non paruisset, haereret illa nihilo minus rei publicae turpitudo. Regno enim iam publicato de ipso Catone erat nominatim rogatum. Quod ille si repudiasset, dubitatis, quin ei vis esset allata, cum omnia acta illius anni per unum illum labefactari viderentur? 63. Atque etiam hoc videbat: quoniam illa in re publica macula regni publicati maneret, quam nemo iam posset eluere, quod ex malis boni posset in rem publicam pervenire, id utilius esse per se conservari quam per alios. Atque ille, etiam si alia quapiam vi expelleretur illis temporibus ex hac Urbe, facile pateretur. Etenim, qui superiore anno senatu caruisset, quo si tum veniret, me tamen socium suorum in re publica consiliorum videre posset, is aequo animo tum me expulso et meo nomine cum universo senatu, tum sententia sua condemnata in hac Urbe esse posset? Ille vero eidem tempori, cui nos, eiusdem furori et eisdem consulibus, eisdem minis insidiis periculis cessit. Luctum nos hausimus maiorem, dolorem ille animi non minorem.

XXX. 64. His de tot tantisque iniuriis in socios, in reges, in civitates liberas consulum querela esse debuit: in eius magistratus tutela reges atque exterae nationes semper fuerunt. Ecquae vox unquam est audita consulum? Quamquam quis audiret, si maxume queri vellent? De Cyprio rege quererentur? qui me civem nullo meo crimine, patriae nomine laborantem non modo stantem non defenderunt, set ne iacentem quidem protexerunt. Cesseram, si alienam a me plebem fuisse voltis, quae non fuit, invidiae; si commoveri omnia videbantur, tempori; si vis suberat, armis; si societas, magistratuum pactioni; si periculum civium, rei publicae. 65. Cur, cum de capite civis (non disputo cuiusmodi civis) et de bonis proscriptio ferretur, cum et sacratis legibus et XII. tabulis sancitum esset, ut neque privilegium irrogari liceret neque de capite nisi comitiis centuriatis rogari, nulla vox est audita consulum constitu-

---

ERN. 7. *viderit* 11. *fortissimo* 13. Abest *eam.* 14. *in re publica* 16. *illum unum* 19. *aliquapiam* (*alia quapiam* ABCbcd.) 23. *eidem furori, eisdem* (*eiusdem furori et eisdem* ABC.) 26. *liberas civitates* 30. *defenderant* — — *protexerant*

LECTT. abcd. 2. *in alteras* abc. non d. 3. *ille testis tem.* ac. non bd. 4. *se civitate Romana privet* ac. non bd. 11. *fortissimo* abcd. 13. *eam* om. bd. Ibid. *adiit cum periculo, sed adiit cum causa* a. *adiit tum periculum, sed adiit cum causa* c. Ibid. *iam* om. abc. non d. 14. *in re publica* abcd. 16. *illum unum* abc. non d. 18. *bonum possit in re publica* abc. *boni possit in re publica* d. 19. *provenire* d sola. Ibid. *aliquapiam* a sola. 20. *pelleretur* a sola. 23. *quo nos* ad. non bc. Ibid. *furori, eisdem* d. *eidem furori, eisdem* abc. 26. *his de tantis* a sola. Ibid. *liberas civitates* abcd. 28. *vox consulum unquam est audita* a sola. Ibid. *auderet* abcd. Ibid. *vellet* d sola. 29. *quaerere* abc. non d. 30. *ne quidem iacentem* a sola. 31. *si quo moveri* acd. non b. 32. *si ius susceperat, armis* a sola. 33. *proscripti* bc. non ad. 34. *sacris* a sola. Ibid. *sanctum* d sola 35. *liceret* om. a., non bcd.

tumque illo anno est, quantum in illis duabus huius imperi pestibus fuit, iure posse per operas concitatas quemvis civem nominatim tribuni pl. concilio ex civitate exturbari? 66. Quae vero promulgata illo anno fuerint, quae promissa multis, quae conscripta, quae sperata, quae cogitata, quid dicam? Qui locus orbis terrae iam non erat alicui destinatus? cuius negoti publici cogitari optari fingi curatio potuit, quae non esset attributa atque descripta? quod genus imperi aut quae provincia, quae ratio auferendae aut conflandae pecuniae non reperiebatur? quae regio orave terrarum erat latior, in qua non regnum aliquod statueretur? quis autem rex, qui illo anno non aut emendum sibi, quod non habebat, aut redimendum, quod habebat, arbitraretur? quis provinciam, quis pecuniam, quis legationem a senatu petebat? Damnatis de vi restitutio, consulatus petitio ipsi illi populari sacerdoti comparabatur. Haec gemebant boni, sperabant improbi, agebat tribunus pl., consules adiuvabant.

XXXI. 67. Hîc aliquanto serius, quam ipse vellet, Cn. Pompeius, invitissumis iis, qui mentem optumi ac fortissumi viri suis consiliis fictisque terroribus a defensione meae salutis averterant, excitavit illam suam non sopitam, sed suspicione aliqua retardatam consuetudinem rei publicae bene gerendae. Non est passus ille vir, qui sceleratissumos civis, qui acerrumos hostis, qui maxumas nationes, qui reges, qui gentis feras atque inauditas, qui praedonum infinitam manum, qui etiam servitia virtute victoriaque domuisset, qui omnibus bellis terra marique compressis imperium populi Romani orbis terrarum terminis definisset, rem publicam everti scelere paucorum, quam ipse non solum consiliis, set etiam sanguine suo saepe servasset: accessit ad causam publicam; restitit auctoritate sua reliquis rebus; questus est de praeteritis. Fieri quaedam ad meliorem spem inclinatio visa est. 68. Decrevit senatus frequens de meo reditu Kalendis Iuniis, dissentiente nullo, referente L. Ninnio, cuius in mea causa nunquam fides virtusque contremuit. Intercessit Ligus iste nescio qui, additamentum inimicorum meorum. Res erat et causa nostra eo iam loci, ut erigere oculos et vivere videretur. Quisquis erat, qui aliquam partem in meo luctu sceleris Clodiani attigisset, quocunque venerat, quod iudicium cunque subierat, damnabatur: inveniebatur nemo, qui se suffragium de me tulisse confiteretur. Decesserat ex Asia frater meus magno squalore, set multo etiam maiore maerore. Huic ad urbem venienti tota obviam civitas cum lacrimis gemituque processerat; loquebatur liberius senatus; concurrebant equites Romani; Piso ille, gener meus, cui fructum pietatis suae neque ex me neque a populo Romano ferre licuit, a propinquo suo socerum suum flagitabat: omnia senatus reiiciebat, nisi de me primum consules rettulissent.

XXXII. 69. Quae cum res iam manibus teneretur et cum consules provinciarum pactione libertatem omnem perdidissent, qui, cum in senatu privati, ut de me sententias dicerent, flagitabant, legem illi se Clodiam timere dicebant; cum hoc non possent iam diutius sustinere,

---

ERN. 1. *est illo anno* 3. *fuerunt* (*fuerint* Muellerus in Curis sec. p. 75. et Madvigius.) 9. *ab* 21. *de praeteritis questus est* 33. *privatim* 34. *flagitabantur* (*flagitabant* ABCb.) Ibid. *haec* (cfr. p. 24. v. 35.)

LECTT. abcd. 2. *consilio* abcd. Ibid. *perturbari* ac. non bd. 3. *fuerunt* abcd. 5. *fingique procuratio* abcd. 6. *imperii, quae* abc. ut Muellerus in Curis sec. Non d. Ibid. *ratio aut auferendae* abcd. 8. *rex erat qui* abc. non d. 9. *ab* abcd. 12. *aliquando* bd. non ac. 13. *ac fictis* abc. non d. 14. *non solutam* ab. *non insolitam* cd. 17. *etiam* om. abc. non d. 19. *saepe defendisset* abc. non d. 21. *de praeteritis q. est* abc. non d. 22. *Iunii* abcd. Ibid. *L. Mummio* abcd. 24. *iam* om. a sola. 26. *cunque sibi erat* a sola. 27. *Discesserat* acd. non b. Ibid. *ab Asia* ac. non bd. 31. *consules primo* a sola. 32. *et* om. a sola. 34. *flagitabantur* acd. non b. Ibid. *haec* abcd.

LECTT. MEM. 27. *tulisse conquereretur* BC. id quod nullo modo, praesertim cum sensu careat, e v. *confiteretur* ortum esse potest; immo subest labes similis ei, qua §. 77. BC. *nulla lege concitata* pro *nulla lege recitata concitatam* et §. 103. post *videbantur* ex ABC. excidit *nitebantur.* Fuisse puto: *tulisse, cum quaereretur, confiteretur.* (wenn man fragte.)

initur consilium de interitu Cn. Pompei: quo patefacto ferroque deprehenso ille inclusus domi tamdiu fuit, quamdiu inimicus meus in tribunatu. De meo reditu octo tribuni promulgarunt. Ex quo intellectum est non mihi absenti crevisse amicos, in ea praesertim fortuna, in qua nonnulli etiam, quos esse putaveram, non erant; set eos voluntatem semper eandem, libertatem non eandem semper habuisse. Nam ex novem tribunis, quos tunc habueram, unus me absente defluxit, qui cognomen sibi ex Aeliorum imaginibus arripuit, quo magis nationis eius esse quam generis videretur. 70. Hoc igitur anno magistratibus novis designatis, cum omnes boni omnem spem melioris status in eorum fidem convertissent, princeps P. Lentulus auctoritate ac sententia sua Pisone et Gabinio repugnantibus causam suscepit tribunisque pl. octo referentibus praestantissumam de me sententiam dixit. Qui cum ad gloriam suam atque ad amplissumi benefici gratiam magis pertinere videret causam illam integram ad suum consulatum reservari, tamen rem talem per alios citius quam per se tardius confici malebat.

XXXIII. 71. Hoc interim tempore P. Sestius, iudices, designatus iter ad C. Caesarem pro mea salute suscepit. Quid egerit, quantum profecerit, nihil ad causam. Equidem existimo, si ille (ut arbitror) aecus nobis fuerit, nihil ab hoc profectum; sin iratior, non multum: set tamen sedulitatem atque integritatem hominis videtis; ingredior iam in Sesti tribunatum: — nam hoc primum iter designatus rei publicae causa suscepit — pertinere et ad concordiam civium putavit et ad perficiendi facultatem animum Caesaris a causa non abhorrere. Abiit ille annus: respirasse homines videbantur nondum re, set spe re publica recuperata. Exierunt malis ominibus atque exsecrationibus duo volturii paludati: quibus utinam ipsis evenissent ea, quae tum homines precabantur! neque nos provinciam Macedoniam cum exercitu neque equitatum in Syria et cohortis optumas perdidissemus. 72. Ineunt magistratum tribuni pl., qui omnes se de me promulgaturos confirmarant. Ex his princeps emitur ab inimicis meis is, quem homines in luctu irridentes Gracchum vocabant; quoniam id etiam fatum civitatis fuit, ut illa ex vepreculis extracta nitedula rem publicam conaretur arrodere. Alter vero, non ille Serranus ab aratro, set ex deserto † Gavi Oleli horreo calatis Gaviis in Calatinos Attilios insitus, subito, nominibus in tabulas relatis, nomen suum de tabula sustulit. Veniunt Kalendae Ianuariae: vos haec melius scire potestis; equidem audita dico: quae tum frequentia senatus, quae exspectatio populi, qui concursus legatorum ex Italia cuncta, quae virtus actio gravitas P. Lentuli consulis fuerit, quae etiam collegae eius moderatio de me; qui cum inimicitias sibi mecum ex rei publicae dissensione susceptas esse dixisset, eas se patribus conscriptis dixit et temporibus rei publicae permissurum.

XXXIV. 73. Tum princeps rogatus sententiam L. Cotta dixit id, quod dignissumum re publica fuit, nihil de me actum esse iure, nihil more maiorum, nihil legibus: non posse quemquam de civitate tolli sine iudicio; de capite non modo ferri, set ne iudicari quidem

---

ERN. 3. Abest *non*. 19. *rei publicae recuperandae* (*re publica recuperata* Lambinus.) 26. *granis* (*Gaviis* ABC.) 28. *Ianuarii*

LECTT. abcd. 3. *non* om. abcd. 4. *eandem non semper* a sola. 5. *ex octo trib.* ac. non bd. 6. *ex aliorum imag.* abc. non d. 11. *atque amplissimam benef.* a sola. 15. *perfectum* d sola. 18. *facilitatem* ac. non bd. 19. *rei publicae recuperandae* abcd. 23. *se* om. abcd. 26. *granis* abc. *gravis* d. Ibid. *in Calatinos ac Laelios* abcd. 28. *Ianuarii* abcd. 30. *fuerit consulis* a sola. 32. *eas se dixit et temporibus et reip.* ab. *eas se dixit P. C. et temporibus reip.* c. *et temporibus et reip.* d.

LECTT. MEM. 16. vv. *ingredior iam in Sesti tribunatum* ex gloss. rhetorico *ingreditur iam in S. tr.* orta putat Madvigius. Sed iis omissis in seqq. mera inest repetitio primorum huius capitis verborum; retentis contra elucet, cur hoc loco variaverit vv. *rei publicae causa*: „in hoc itinere, quamvis tribunus designatus tantummodo esset, reapse iam tribunum se gessit."

posse nisi comitiis centuriatis; vim fuisse illam, flammam quassatae rei publicae perturbatorumque temporum iure iudiciisque sublatis; magna rerum permutatione impendente declinasse me paullum et spe relicuae tranquillitatis praesentis fluctus tempestatemque fugisse: quare, cum absens rem publicam non minus magnis periculis quam quodam tempore praesens liberassem, non restitui me solum, set etiam ornari a senatu decere. Disputavit etiam multa prudenter, ita de me illum amentissumum et profligatissumum hostem pudoris et pudicitiae scripsisse, quae scripsisset iis verbis rebus sententiis, ut, etiam si iure esset rogatum, tamen vim habere non posset; quare me, qui nulla lege abessem, non restitui lege, set revocari senatus auctoritate oportere. 74. Hunc nemo erat quin verissume sentire diceret. Set post eum rogatus Cn. Pompeius approbata laudataque Cottae sententia dixit sese oti mei causa, ut omni populari concitatione defungerer, censere, ut ad senatus auctoritatem populi quoque Romani beneficium erga me adiungeretur. Cum omnes certatim aliusque alio gravius atque ornatius de mea salute dixisset fieretque sine ulla varietate discessio, surrexit, ut scitis, Attilius hic Gavianus; nec ausus est, cum esset emptus, intercedere; noctem sibi ad deliberandum postulavit. Clamor senatus, querelae preces, socer ad pedes abiectus. Ille se affirmare postero die moram nullam esse facturum. Creditum est; discessum est. Illi interea deliberatori merces longa interposita nocte duplicata est. Consecuti dies pauci omnino Ianuario mense, per quos senatum haberi liceret: set tamen actum nihil nisi de me.

XXXV. 75. Cum omni mora ludificatione calumnia senatus auctoritas impediretur, venit tandem concili de me agendi dies, VIII. Kal. Febr. Princeps rogationis, vir mihi amicissumus, Q. Fabricius, templum aliquanto ante lucem occupavit. Quietus eo die Sestius, is, qui est de vi reus: actor hic defensorque causae meae nihil progreditur, consilia exspectat inimicorum meorum. Quid? illi, quorum consilio P. Sestius in iudicium vocatur, quo se pacto gerunt? Cum forum comitium curiam multa de nocte armatis hominibus ac servis plerisque occupavissent, impetum faciunt in Fabricium, manus afferunt, occidunt nonnullos, volnerant multos. 76. Venientem in forum, virum optumum et constantissumum, M. Cispium, tribunum pl., vi depellunt: caedem in foro maxumam faciunt: universique destrictis gladiis et cruentis in omnibus fori partibus fratrem meum, virum optumum, fortissumum meique amantissumum, oculis quaerebant, voce poscebant. Quorum ille telis libenter in tanto luctu ac desiderio mei non repugnandi, set moriendi causa corpus obtulisset suum, nisi suam vitam ad spem mei reditus reservasset. Subiit tamen vim illam nefariam consceleratorum latronum et, cum ad fratris salutem a populo Romano deprecandam venisset, pulsus e Rostris in comitio iacuit seque servorum et libertorum corporibus obtexit vitamque tum suam noctis et fugae praesidio, non iuris iudiciorumque defendit. 77. Meministis tum, iudices, corporibus civium Tiberim compleri, cloacas referciri, e foro spongiis effingi sanguinem, ut omnes tantam illam copiam

---

ERN. 2. *perturbatione* 3. *paullulum* 7. *scripserat* 20. *Kalendis*

LECTT. abcd. 2. *perturbato undique tempore* ab. Ibid. *perturbatione* bc. non ad. 3. *paullulum* abcd. 4. *non minus remp.* a sola. 7. *scripserat* acd. non b. Ibid. *his* ad. 9. *set* om. abc. non d. 11. *defringier censere et ad senatum non se referri iussit. Cum omnes* — — — *dixissent, venit* c. *de me* a. *dies* a. 13. *dixissent* abc. probante Madvigio. Ut nos, d. Ibid. *sciatis* bcd. 20. *consilii* acd. non b. 21. *Quid eo die Sestius? is* a sola. 26. *Venientem* — — *faciunt* om. a. Ibid. *constantissimum Cispium* b. *M. Cospium* d. Ut nos, c. 27. *districtis* abcd. 28. *fort. meique amant.* om. a. 29. *Quorum ille telis libenter suum corpus obtulisset* a. 31. *Subiit* — — *venisset* om. a. Ibid. *Subit* bcd. 32. *populo Romano* (spatium) *deprecandumque* d sola. Ibid. *pulsus tamen e* ac. non bd. 33. *suam tum* abc. non d. 35. *refarciri nihilque neque* a. Ibid. *effundi* bcd.

LECTT. MEM. 20. *concilio* A., unde *in concilio* Madvigius. Duplex est constructio: *dies concili* et *dies de me agendi*; non vero *dies concili de me agendi*.

et tam magnificum apparatum non privatum aut plebeium, set patricium et praetorium esse arbitrarentur.

XXXVI. Nihil neque ante hoc tempus neque hoc ipso turbulentissumo die criminamini Sestium. — Atqui vis in foro versata est. — Certe. Quando enim maior? Lapidationes persaepe vidimus; non ita saepe, set nimium tamen saepe, gladios: caedem vero tantam, tantos acervos corporum exstructos, nisi forte illo Cinnano atque Octaviano die, quis unquam in foro vidit? qua ex concitatione animorum? Nam ex pertinacia aut constantia intercessoris oritur saepe seditio, culpa atque improbitate latoris, commodo aliquo imperitis aut largitione proposita; oritur ex concertatione magistratuum; oritur sensim ex clamore primum, deinde aliqua discessione contionis; vix, sero et raro ad manus pervenitur: nullo vero verbo facto, nulla contione advocata, nulla lege recitata concitatam nocturnam seditionem quis audivit? 78. An veri simile est, ut civis Romanus aut homo liber quisquam cum gladio in forum descenderit ante lucem, ne de me ferri pateretur, praeter eos, qui ab illo pestifero ac perdito cive iam pridem rei publicae sanguine saginantur? Hic iam de ipso accusatore quaero, qui P. Sestium queritur cum multitudine in tribunatu et cum praesidio magno fuisse, num illo die fuerit? Certe non fuit. Victa igitur est causa rei publicae, et victa non auspiciis, non intercessione, non suffragiis, set vi manu ferro. Nam, si obnuntiasset Fabricio is, qui servasset de caelo, accepisset res publica plagam, set eam, quam acceptam gemere posset: si intercessisset collega Fabricio, laesisset rem publicam, set [rem publicam] iure laesisset. Gladiatores tu novicios, pro exspectata aedilitate suppositos, cum sicariis e carcere emissis ante lucem immittas? magistratus templo deiicias? caedem maxumam facias? forum purges? et, cum omnia vi et armis egeris, accuses eum, qui se praesidio munierit, non ut te oppugnaret, set ut vitam suam posset defendere?

XXXVII. 79. Atqui ne ex eo quidem tempore id egit Sestius, ut a suis munitus tuto in foro magistratum gereret, rem publicam administraret. Itaque fretus sanctitate tribunatus, cum se non modo contra vim et ferrum, set etiam contra verba atque interfationem legibus sacratis esse armatum putaret, venit in templum Castoris, obnuntiavit consuli: cum subito manus illa Clodiana in caede civium saepe iam victrix exclamat, incitatur, invadit: inermem atque imparatum tribunum alii gladiis adoriuntur, alii fragmentis saeptorum et fustibus: a quibus hic multis volneribus acceptis ac debilitato corpore et contrucidato se abiecit exanimatus neque ulla alia re ab se mortem nisi opinione mortis depulit. Quem cum iacentem et concisum plurimis volneribus extremo spiritu exsanguem et confectum viderent, defetigatione magis et errore quam misericordia et modo aliquando caedere destiterunt. 80. Et causam

---

ERN. 3. *criminationis esse in Sestium* 7. *concertatione* (*concitatione* de mea coni. probante Madvigio.) 16. *Certe, certe non* (*Certe non* ABC. abcd.) 18. *is praetor, qui se servasse de caelo dixerat* (*is, qui servasset de caelo* Madvigius.) 19. Absunt unci. Additi sunt de Wunderi, Muelleri et Madvigii sententia.

LECTT. abcd. 3. *nihilque neque* abcd. Ibid. *criminationis esse in Sestium. Hic etiam de ipso* (§. 78.) a. *criminationis in S.* c. Ut nos, bd. 4. *versata. Certe* b sola. Ibid. *maiores lapidationes* b. *maiorem, lapidationes* c. Ut nos, d. 6. *obstructos* b sola. 7. *concertatione* bcd. 8. *largitione, oritur* bc. non d. 11. *lege concitata, n.* b. *lege tam concitata n.* c. *lege concitatam n.* d. 13. *ferre* b sola. 14. *Hic etiam* ab. non cd. 16. *non fuit. Gladiatores tu supponas cum sicariis* a. 18. *is Trib. pl. qui servasse de caelo dixerat* bcd. omisso *se.* (sicque etiam A.) 21. *ante lucem in forum immittas* abcd. Ibid. *eiicias* ac. non bd. 22. *vi, armis* a sola. 24. *defendere. Ex eo tempore id egit Sestius* a. Ibid. *Atqui ex* bc. non d. Ibid. *ut a suis munitus, — — gereret: ut a suis munitus remp. adm.* ac. non bd. 25. *in foro tum mag.* d sola. Ibid. *Itaque cum fretus s. tribunatus non modo* a. 26. *intercessionem* abcd.

LECTT. MEM. 24. *ut a suis munitus tuto in foro, dum magistratum* Madvigius. 28. Scr. *inermum.*

dicit Sestius de vi? Quid ita? Quia vivit. At id non sua culpa; plaga una illa extrema defuit; quae si accessisset, relicum spiritum exhausisset. Accusa Lentidium; non percussit locum: male dic Titio Sabinio, homini Reatino, cur tam tempori exclamarit occisum. Ipsum vero quid accusas? num defuit gladiis? num repugnavit? num, ut gladiatoribus imperari solet, ferrum non recepit?

XXXVIII. An haec ipsa vis est, non posse emori? an illa, quod tribunus pl. templum cruentavit? an, quod, cum esset ablatus primumque resipisset, non se referri iussit? Ubi est crimen, quod reprehenditis? 81. Hîc quaero, iudices, si illo die gens ista Clodia, quod facere voluit, effecisset; si P. Sestius, qui pro occiso relictus est, occisus esset, fuistisne ad arma ituri? fuistisne vos ad patrium illum animum maiorumque virtutem excitaturi? fuistisne aliquando rem publicam a funesto latrone repetituri? an etiam tum quiesceretis, cunctaremini, timeretis, cum rem publicam a facinorosissumis sicariis et a servis esse oppressam atque conculcatam videretis? Cuius igitur mortem ulcisceremini, si quidem liberi esse et habere rem publicam cogitaretis, de eius virtute vivi quid vos loqui, quid sentire, quid cogitare, quid iudicare oporteat, dubitandum putatis? 82. At vero ipsi illi parricidae, quorum effrenatus furor alitur impunitate diuturna, adeo vim facinoris sui perhorruerunt, ut, si paullo longior opinio mortis Sesti fuisset, Gracchum illum suum transferendi in nos criminis causa occidere cogitarint. Sensit rusticulus non incautus (neque enim homines nequam tacere potuerunt) suum sanguinem quaeri ad restinguendam invidiam facinoris Clodiani: mulioniam penulam arripuit, cum qua primum Romam ad comitia venerat; messoria se corbe contexit. Cum quaererent alii Numerium, alii Quintium, gemini nominis errore servatus est. Atque hoc scitis omnes, usque adeo hominem in periculo fuisse, quoad scitum sit Sestium vivere. Quod nisi esset patefactum paullo citius, quam vellem, non illi quidem morte mercenari sui transferre potuissent invidiam in quos putabant, set acerbissumi sceleris infamiam grato quodam scelere minuissent. 83. Ac, si tunc P. Sestius, iudices, in templo Castoris animam, quam vix retinuit, edidisset, non dubito, quin, si modo esset in re publica senatus, si maiestas populi Romani revixisset, aliquando statua huic ob rem publicam interfecto in foro statueretur. Nec vero illorum quisquam, quos a maioribus nostris morte obita positos in illo loco atque in Rostris collocatos videtis, esset P. Sestio aut acerbitate mortis aut animo in rem publicam praeponendus; qui cum causam civis calamitosi, causam amici, causam bene de re publica meriti, causam senatus, causam Italiae, causam rei publicae suscepisset cumque auspiciis religionique parens obnuntiaret, quod senserat, luce, palam a nefariis pestibus in deorum hominumque conspectu esset occisus sanctissumo in templo, sanctissuma in causa, sanctissumo in magistratu. Eius igitur vitam quisquam spoliandam ornamentis esse dicet, cuius mortem ornandam monumento sempiterno putaretis?

XXXIX. 84. Homines, inquit, emisti, coëgisti, parasti. — Quid uti faceret? senatum obsideret? civis indemnatos expelleret? bona diriperet? aedis incenderet? tecta disturbaret?

ERN. 3. *male dicito Sabinio* (*male dic Titio Sabinio* A. Pantagathus.) 7. *resipuisset* 11. *etiam tunc* (*etiam tum* A.) 13. *occupatam* (*conculcatam* Gulielmius probantibus Matthiaeo et Madvigio. Libri *occultam.*) 14. *viri* 15. *illi ipsi* 16. *perhorruerant* (*perhorruerunt* A.) 19. *mulionicam*

LECTT. abcd. 1. *et id* a sola. 3. *maledicito homini R.* a. *maledicito Sabinio h. R.* bc. *maledicito Sabino h. R.* d. Ibid. *tam tempore* a. *tam temere* ABC. bcd. (*tam tempori* ex Erf. Gembl. Palatt. sex., id est, tertia Codd. familia. Explicandum est: „tam iusto tempore,“ *κατ' εἰρωνείαν*, „nimis mature.“) 7. *resipuisset* bc. non d. 8. *Clodiana* abc. non d. 11. *etiam tunc* abcd. 13. *occupatam* abcd. 14. *viri* abcd. 15. *illi ipsi* abcd. 16. *perhorruerant* abcd. 18. *homines tacere* abc. non d. 22. *quoad Sestium scitum est v.* a sola. 25. *si tum* d sola. 29. *aut in remp. animo* abc. non d. 31. *causam senatoris* a sola. 34. *quisnam* a sola.

templa deorum immortalium inflammaret? tribunos pl. ferro e Rostris expelleret? provincias quas vellet quibus vellet venderet? reges appellaret? rerum capitalium condemnatos in liberas civitates per legatos nostros reduceret? principem civitatis ferro obsessum teneret? Haec ut efficere posset, quae fieri nisi armis oppressa re publica nullo modo poterant, idcirco, credo, manum sibi P. Sestius et copias comparavit. — At nondum erat maturum; nondum res ipsa ad eiusmodi praesidia viros bonos compellebat. — Pulsi nos eramus, non omnino ista manu sola, set tamen non sine ista: vos taciti maerebatis. 85. Captum erat forum anno superiore, aede Castoris tamquam arce aliqua a fugitivis occupata: silebatur. Omnia hominum cum egestate tum audacia perditorum clamore concursu, vi manu gerebantur: perferebatis. Magistratus templis pellebantur, alii omnino aditu ac foro prohibebantur: nemo resistebat. Gladiatores ex praetoris comitatu comprehensi, in senatum introducti, confessi, in vincla coniecti a Milone, emissi a Serrano: mentio nulla. Forum corporibus civium Romanorum constratum caede nocturna: non modo nulla nova quaestio, set etiam vetera iudicia sublata. Tribunum pl. plus viginti volneribus acceptis iacentem moribundumque vidistis: alterius tribuni pl., divini hominis, (dicam enim quod sentio et quod mecum sentiunt omnes) divini, insigni quadam, inaudita, nova magnitudine animi gravitate fide praediti domus est oppugnata ferro facibus exercitu Clodiano.

XL. 86. Et tu hoc loco laudas Milonem et iure laudas. Quem enim unquam virum tam immortali virtute vidimus? qui nullo praemio proposito praeter hoc, quod iam contritum et contemptum putatur, iudicium bonorum, omnia pericula, summos labores, gravissumas contentiones inimicitiasque suscepit? qui mihi unus ex omnibus civibus videtur re docuisse, non verbis, et quid oporteret a praestantibus viris in re publica fieri et quid necesse esset: oportere hominum audacium, eversorum rei publicae sceleri legibus et iudiciis resistere; si leges non valerent, iudicia non essent, si res publica vi consensuque audacium armis oppressa teneretur, praesidio et copiis defendi vitam et libertatem necesse esse. Hoc sentire prudentiae est, facere fortitudinis; et sentire vero et facere perfectae cumulataeque virtutis. 87. Adiit ad rem publicam tribunus pl. Milo: de cuius laude plura dicam, non quo aut ipse haec dici quam existimari malit aut ego hunc laudis fructum praesenti libenter impertiam, praesertim cum verbis consequi non possim: set quod existimo, si Milonis causam accusatoris voce collaudatam probaro, vos in hoc crimine parem Sesti causam existimaturos. Adiit igitur T. Annius ad causam rei publicae sic, ut civem patriae recuperare vellet ereptum. Simplex causa, constans ratio, plena consensionis omnium, plena concordiae. Collegas adiutores habebat; consulis alterius summum studium, alterius animus paene placatus. De praetoribus unus alienus; senatus incredibilis voluntas, equitum Romanorum animi ad causam excitati, erecta Italia. Duo soli erant empti ad impediendum; qui si homines despecti et contempti tantam rem sustinere non potuissent, se causam, quam susceperat, nullo labore peracturum videbat. Agebat

ERN. 11. *vincula* 22. *quid op.* (*et quid op.* A.)

LECTT. abcd. 2. *reges appellaret rerum capitalium condemnatos? principem* a sola. 3. *educeret* d sola. 5. *comparavit. At cum forum corporibus civium Ro. esset constratum* a sola. Ibid. *maturum dum* d sola. 7. *mirabamini* b. *merebamini* c. *moerebamini* d. 8. *occupata: ferebatis* bc. non d. 11. *vincula* bcd. 12. *missi* bcd. 15. *divina, ins.* bc. non d. 19. *virtute praeditum* abcd. 22. *quid op.* abcd. Ibid. *oporteat* a sola. Ibid. *praestantissimis* abcd. 23. *sceleribus* ac. non bd. 26. *fortitudinis: sentire* abc. non d. 27. *plura dixi* a sola. 30. *existimaturos. Quomodo in hoc genere* (§. 90.) a. 31. *Reip. sicut civem * patriae recuperare velle te Rep. tum simplex* b. *Reip. sicut civem * patriae recuperare te velle, te Remp. tum simplex* c. *Reip. sicut civem patriae recuperare vellet Reip. * tum simplex* d.

LECTT. MEM. 7. *miserebamini* Madvig. Praeponendum esset *mei* absorptum a syll. *mi.*

auctoritate, agebat consilio, agebat per summum ordinem, agebat exemplo bonorum ac fortium civium: quid re publica, quid se dignum esset, quis ipse esset, quid sperare, quid maioribus suis reddere deberet, diligentissume cogitabat.

XLI. 88. Huic gravitati hominis videbat ille gladiator se, si moribus ageret, parem esse non posse: ad ferrum, ad facis, ad quotidianam caedem, incendia, rapinas se cum exercitu suo contulit: domum oppugnare, itineribus occurrere, vi lacessere et terrere coepit. Non movit hominem summa gravitate summaque constantia: set quamquam dolor animi, innata libertas, prompta excellensque virtus fortissumum virum hortabatur, vi vim oblatam, praesertim saepius, ut frangeret et refutaret, tanta moderatio fuit hominis, tantum consilium, ut contineret dolorem neque eadem se re ulcisceretur, qua esset lacessitus, set illum tot iam in funeribus rei publicae exsultantem ac tripudiantem legum, si posset, laqueis constringeret. Descendit ad accusandum. 89. Quis unquam tam proprie rei publicae causa? nullis inimicitiis, nullis praemiis, nulla hominum postulatione aut etiam opinione id unquam esse facturum. Fracti erant animi hominis. Hoc enim accusante pristini illius sui iudici turpitudinem desperabat. Ecce tibi consul, praetor, tribunus pl. nova novi generis edicta proponunt; „NE REUS ADSIT, NE CITETUR, NE QUAERATUR, NE MENTIONEM OMNINO CUIQUAM IUDICUM AUT IUDICIORUM FACERE LICEAT.“ Quid ageret vir ad virtutem dignitatem gloriam natus, vi sceleratorum hominum corroborata, legibus iudiciisque sublatis? Cervices tribunus pl. privato, praestantissimus vir profligatissumo homini daret? an causam susceptam affligeret? an se domi contineret? Et vinci turpe putavit et deterreri et latere. Perfecit, ut, quoniam sibi in illum legibus uti non liceret, illius vim neque in suo neque in rei publicae periculo pertimesceret.

XLII. 90. Quomodo igitur hoc in genere praesidi comparati accusas Sestium, cum idem laudes Milonem? An, qui sua tecta defendit, qui ab aris focis ferrum flammamque depellit, qui sibi licere volt tuto esse in foro, in templo, in curia, iure praesidium comparat: qui volneribus, quae cernit quotidie toto corpore, monetur, ut aliquo praesidio caput et cervices et iugulum ac latera tutetur, hunc de vi accusandum putas? 91. Quis enim nostrûm, iudices, ignorat ita naturam rerum tulisse, ut quodam tempore homines nondum neque naturali neque civili iure descripto fusi per agros ac dispersi vagarentur tantumque haberent, quantum manu ac viribus per caedem ac volnera aut eripere aut retinere potuissent? Qui igitur primi virtute et consilio praestanti exstiterunt, ii perspecto genere humanae docilitatis atque ingeni dissipatos unum in locum congregarunt eosque ex feritate illa ad iustitiam atque mansuetudinem transduxerunt. Tum res communem utilitatem continentes, quas publicas appellamus, tum conventicula hominum, quae postea civitates nominatae sunt, tum domicilia coniuncta, quas urbes dicimus, invento et divino iure et humano moenibus saepserunt. 92. Atque inter hanc vitam perpolitam humanitate et illam immanem nihil tam interest quam ius atque vis. Horum utro uti nolumus, altero est utendum. Vim volumus exstingui? Ius valeat necesse est, id

ERN. 1. *et fortium* 3. *cogitarat* 8. *hortabantur* 10. *iam funeribus* 20. *et deterreri. Etiam e re publica credidit, ut* (*et deterreri et latere. Perfecit, ut* Madvigius e vestigiis codicum.) 24. *in curia: qui vitae praesidium* 26. *vestrum* (*nostrum* ABC.) 32. *res ad communem utilitatem, quas* (*res communem utilitatem continentes, quas* ab.) 34. *et humano iure* 36. *nolimus* (*nolumus* C4dd. Oxonn.)

LECTT. abcd. 1. *et f.* bc. non d. 6. *terrore* b sola. 8. *hortabantur* bc. non d. 19. *an causam — — domi contineret* om. c., quae habent bd. 20. *et deterreri etiam * eripi reiecit: ut* bcd. 22. *in hoc* abc. non d. *Quomodo in hoc* a. 24. *in curia: qui vitae praesidium* abcd. 26. *vestrum* abcd. 32. *traduxerunt* bc. non d. *transtulerunt* a. Ibid. *res ad communem utilitatem continentes, quas* cd. 33. *nominaverunt, tum* abc. non d. 34. *et humano iure* abc. non d. 35. *quam vis et ius* a sola. 36. *uti volumus, altero est carendum* ac. non bd. Ibid. *vim volumus? Extingui ius necesse est* a.

LECTT. MEM. 2. *spectare* Cod. Buelovianus in Muelleri Curis sec. p. 87. 33. *nominatae sunt, instituerunt, tum* Madvigius.

est, iudicia, quibus omne ius continetur. Iudicia displicent aut nulla sunt? Vis dominetur necesse est. Haec vident omnes: Milo et vidit et fecit, ut ius experiretur, vim depelleret. Altero uti voluit, ut virtus audaciam vinceret; altero usus necessario est, ne virtus ab audacia vinceretur. Eademque ratio fuit Sesti, si minus in accusando, (neque enim per omnes fuit idem fieri necesse,) at certe in necessitate defendendae salutis suae praesidioque contra vim et manum comparando.

XLIII. 93. O dii immortales! quemnam ostenditis exitum nobis? quam spem rei publicae datis? quotus quisque invenietur tanta virtute vir, qui optumam quamque causam rei publicae amplectatur, qui bonis viris deserviat, qui solidam laudem veramque quaerat? cum sciat duo illa rei publicae paene fata, Gabinium et Pisonem, alterum haurire cotidie ex pacatissumis atque opulentissumis Syriae gazis innumerabile pondus auri; bellum inferre quiescentibus, ut eorum veteres illibatasque divitias in profundissumum libidinum suarum gurgitem profundat; villam aedificare in oculis omnium tantam, tugurium ut iam videatur esse illa villa, quam ipse tribunus pl. pictam olim in contionibus explicabat, quo fortissumum ac summum civem in invidiam homo castus ac non cupidus vocaret: 94. alterum Thracibus ac Dardanis primum pacem maxuma pecunia vendidisse; deinde, ut illi pecuniam conficere possent, vexandam iis Macedoniam et spoliandam tradidisse; eundemque bona creditorum, civium Romanorum, cum debitoribus Graecis divisisse; cogere pecunias maxumas a Dyrrhachinis, spoliare Thessalos, certam Achaeis in annos singulos pecuniam imperavisse, neque tamen ullo in publico aut religioso loco signum aut tabulam aut ornamentum reliquisse: hos sic eludere, quibus omne supplicium atque omnis iure optumo poena debetur; reos esse hos duos, quos videtis. Omitto iam Numerium, Serranum, Aelium, quisquilias seditionis Clodianae: set tamen ii quoque etiam nunc volitant, ut videtis; nec, dum vos de vobis aliquid timebitis, illi unquam de se pertimescent.

XLIV. 95. Nam quid ego de aedile ipso loquar, qui etiam diem dixit et accusavit de vi Milonem? Neque hic tamen ulla unquam iniuria adducetur, ut eum tali virtute tantaque firmitate animi se in rem publicam fuisse poeniteat: set, qui haec vident adolescentes, quonam suas mentis conferent? Ille, qui monumenta publica, qui aedis sacras, qui domos inimicorum suorum oppugnavit, excidit, incendit, qui stipatus semper sicariis, saeptus armatis, munitus indicibus fuit, quorum hodie copia redundat, qui et peregrinam manum facinorosorum concitavit et servos ad caedem idoneos emit et in tribunatu carcerem totum in forum effudit, volitat aedilis, accusat eum, qui aliqua ex parte eius furorem exsultantem repressit. Hic, qui se est tutatus sic, ut in privata re deos penatis suos, in re publica iura tribunatus atque auspicia defenderet, accusare eum moderate, a quo ipse nefarie accusatur, per senatus auctoritatem non est situs. 96. Nimirum hoc illud est, quod de me potissumum tu in accusatione quaesisti, „quae esset nostra natio optumatium.“ Sic enim dixisti. Rem quaeris praeclaram iuventuti ad discendum nec mihi difficilem ad perdocendum; de qua pauca, iudices, dicam: et, ut arbitror, nec ab utilitate eorum, qui audient, nec ab officio nostro nec ab ipsa causa P. Sesti abhorrebit oratio mea.

ERN. 4. *fuit P. Sesti* (*fuit Sesti* ABC.) 5. *necesse fieri* 16. *his* 20. *illudere* 22. *hi* 33. *tribunatus auspiciaque*

LECTT. abcd. 5. *necesse fieri* abc. non d. Ibid. *defensionis salutis* ac. non bd. 6. *comparato* ac. non bd. 7. *quem iam* a sola. 9. *quaerat. Neque hic tamen* (§. 95.) a. 10. *illa duo* bc. non d. 16. *his* bcd. 18. *agere pec.* b sola. 20. *illudere* bd. *hoc sic includere* c. 22. *hi* bcd. 23. *dum de vobis* c sola. 24. *timetis* — — *pertimescunt* bc. non d. 25. *aedili* bc. non d. 28. *qui domus in. suorum* om. a. 30. *iudicibus* a sola. Ibid. *redundans volitat aedibus accusat* a sola. 32. *aliqua parte* a sola. 33. *est se* a sola. Ibid. *tribunatus auspiciaque* abc. non d. 38. *officio vestro* d. non bc.

XLV. Duo genera semper in hac civitate fuerunt eorum, qui versari in re publica atque in ea se excellentius gerere studuerunt; quibus ex generibus alteri se popularis, alteri optumatis et haberi et esse voluerunt. Qui ea, quae faciebant quaeque dicebant, multitudini iucunda volebant esse, populares; qui autem ita se gerebant, ut sua consilia optumo cuique probarent, optumates habebantur. Quis ergo iste optumus? quis? 97. De numero si quaeris, innumerabiles: — neque enim aliter stare possemus: — sunt principes consili publici; sunt, qui eorum sectam secuntur; sunt maxumorum ordinum homines, quibus patet curia; sunt municipales rusticique Romani; sunt negoti gerentes; sunt etiam libertini optumates. Numerus, ut dixi, huius generis late et varie diffusus est: set genus universum (ut tollatur error) brevi circumscribi et definiri potest. Omnes optumates sunt, qui neque nocentes sunt nec natura improbi nec furiosi nec malis domesticis impediti. + Est igitur, ut ii sint, quam tu nationem appellasti, qui integri sunt et sani et bene de rebus domesticis constituti. Horum qui voluntati commodis opinioni in gubernanda re publica serviunt, defensores optumatium ipsique optumates, gravissumi et clarissumi cives numerantur et principes civitatis. 98. Quid est igitur propositum his rei publicae gubernatoribus, quod intueri et quo cursum suum dirigere debeant? Id quod est praestantissumum maxumeque optabile omnibus sanis et bonis et beatis, cum dignitate otium. Hoc qui volunt, omnes optumates: qui efficiunt, summi viri et conservatores civitatis putantur. Neque enim rerum gerendarum dignitate homines efferri ita convenit, ut otio non prospiciant, neque ullum amplexari otium, quod abhorreat a dignitate.

XLVI. Huius autem otiosae dignitatis haec fundamenta sunt, haec membra, quae tuenda principibus et vel capitis periculo defendenda sunt, religiones, auspicia, potestates magistratuum, senatus auctoritas, leges, mos maiorum, iudicia, iuris dictio, fides, provinciae, socii, imperi laus, res militaris, aerarium. 99. Harum rerum tot atque tantarum esse defensorem et patronum magni animi est, magni ingeni magnaeque constantiae. Etenim in tanto civium numero magna multitudo est eorum, qui aut propter metum poenae, peccatorum suorum conscii, novos motus conversionesque rei publicae quaerant, aut qui propter insitum quendam animi furorem discordiis civium ac seditione pascantur, aut qui propter implicationem rei familiaris communi incendio malint quam suo deflagrare. Qui cum auctores sunt et duces suorum studiorum vitiorumque nacti, in re publica fluctus excitantur, ut vigilandum sit iis, qui sibi gubernacula patriae depoposcerunt, enitendumque omni scientia ac diligentia, ut, conservatis iis, quae ego paullo ante fundamenta ac membra esse dixi, tenere cursum possint et capere oti illum portum et dignitatis. 100. Hanc ego viam, iudices, si aut asperam atque arduam aut plenam esse periculorum aut insidiarum negem, mentiar: praesertim cum id non modo intellexerim semper, set etiam praeter ceteros senserim.

XLVII. Maioribus praesidiis et copiis oppugnatur res publica, quam defenditur, propterea quod audaces homines et perditi nutu impelluntur et ipsi etiam sponte sua contra rem publicam incitantur: boni nescio quomodo tardiores sunt et principiis rerum neglectis ad extremum ipsa denique necessitate excitantur; ita ut nonnunquam cunctatione ac tarditate, dum otium

---

ERN. 3. *esse volebant.* 5. *quis ergo iste optimus quisque?* probante Madvigio. Sed etiam nunc vereor, ut hoc Latinum sit. (*quis ergo iste optimus? quis?* A. d. partim etiam BC: *quisque numero.*) 8. *negotia* 11. *Esto igitur, ut hi sint* 12. *quiqui integri* 31. *his* 33. *aut arduam*

LECTT. abcd. 3. *esse volebant* abc. non. d. 5. *probarentur* ad. non bc. Ibid. *quis ergo optimus iste? quis?* abc. non d. 8. *negotia* abcd. 11. *Esto igitur, ut hi sint* abcd. 12. *et qui* abcd. 14. *nominantur* abcd. 16. *optabile sanis* ac. non bd. 24. *constantiae. Hanc ego viam* (§. 100.) a. 28. *tutores sunt* c. non bd. 31. *his* bcd. 36. *sua sponte* a sola.

LECTT. MEM. 11. *Sequitur, ut ii sint* probabiliter Madvigius.

volunt etiam sine dignitate retinere, ipsi utrumque amittant. 101. Propugnatores autem rei publicae qui esse voluerunt, si leviores sunt, desciscunt; si timidiores, desunt: permanent illi soli atque omnia rei publicae causa perferunt, qui sunt tales, qualis pater tuus, M. Scaure, fuit, qui a C. Graccho usque ad Q. Varium seditiosis omnibus restitit, quem nunquam ulla vis, ullae minae, ulla invidia labefecit: aut qualis Q. Metellus, patruus matris tuae; qui, cum florentem hominem in populari ratione, L. Saturninum, censor notasset cumque insitivum Gracchum contra vim multitudinis incitatae censu prohibuisset cumque in eam legem, quam non iure rogatam iudicarat, iurare unus noluisset, de civitate maluit quam de sententia demoveri; aut, (ut vetera exempla, quorum est copia digna huius imperi gloria, relinquam neve eorum aliquem, qui vivunt, nominem,) qualis nuper Q. Catulus fuit, quem neque periculi tempestas neque honoris aura potuit unquam de suo cursu aut spe aut metu demovere.

XLVIII. 102. Haec imitamini, per deos immortalis! qui dignitatem, qui laudem, qui gloriam quaeritis. Haec ampla sunt, haec divina, haec immortalia: haec fama celebrantur, monumentis annalium mandantur, posteritati propagantur. Est labor; non nego: pericula magna; fateor.

Multae insidiae sunt bonis:

verissume dictum est. Set

Te id, quod multi invideant multique expetant, inscitia est, inquit,
Postulare, si laborem summa cum cura ecferas
Nullum.

Idem alio loco dixit, quod exciperent improbi cives, *Oderint, dum metuant.* Praeclara enim illa praecepta dederat iuventuti. 103. Set tamen haec via, haec ratio rei publicae capessendae olim erat magis pertimescenda, cum multis in rebus multitudinis studium ac populi commodum ab utilitate rei publicae discrepabat. Tabellaria lex ab L. Cassio ferebatur. Populus libertatem agi putabat suam. Dissentiebant principes et in salute optumatium temeritatem multitudinis et tabellae licentiam pertimescebant. Agrariam Ti. Gracchus legem ferebat. Grata erat populo: fortunae constitui tenuiorum videbantur. Nitebantur contra optumates, quod et discordiam excitari videbant et, cum locupletes possessionibus diuturnis moverentur, spoliari rem publicam propugnatoribus arbitrabantur. Frumentariam legem C. Gracchus ferebat. Iucunda res plebei; victus enim suppeditabatur large sine labore. Repugnabant boni, quod et ab industria plebem ad desidiam avocari putabant et aerarium exhauriri videbatur.

XLIX. Multa etiam nostra memoria, quae consulto praetereo, fuerunt in ea contentione, ut popularis cupiditas a consilio principum dissideret. 104. Nunc iam nihil est, quod populus a delectis principibusque dissentiat: nec flagitat rem ullam neque novarum rerum est cupidus et otio suo et dignitate optumi cuiusque et universae rei publicae gloria delectatur. Itaque homines seditiosi ac turbulenti, quia nulla iam largitione populum Romanum concitare possunt, quod plebes perfuncta gravissumis seditionibus ac discordiis otium amplexatur, conductas habent contiones; neque id agunt, ut ea dicant aut ferant, quae illi velint audire, qui in contione sunt, set pretio ac mercede perficiunt, ut quidquid dicant, id illi velle audire videantur. 105. Num vos existimatis Gracchos aut Saturninum aut quemquam illorum veterum, qui populares habebantur, ullum unquam in contione habuisse conductum? Nemo habuit. Ipsa enim largitio et spes commodi propositi sine mercede ulla multitudinem concitabat. Itaque temporibus illis, qui populares erant, offendebant illi quidem aput gravis et honestos homines, set populi iudiciis atque omni significatione florebant. His in theatro plaudebatur; hi suffragiis, quod contenderant, consequebantur; horum homines nomen orationem voltum incessum amabant. Qui autem adversabantur ei generi, graves et magni homines habebantur: set valebant in senatu multum, aput bonos viros plurumum: multitudini iucundi non erant, suffragiis offendebatur saepe eorum voluntas; plausum vero etiam si quis eorum aliquando acceperat, ne quid peccasset, pertimescebat. Attamen, si qua res erat maior, idem ille populus horum auctoritate maxume commovebatur.

L. 106. Nunc, nisi me fallit, in eo statu civitas est, ut, si operas conductorum removeris, omnes idem de re publica sensuri esse videantur. Etenim tribus locis significari maxume populi Romani iudicium ac voluntas potest, contione, comitiis, ludorum gladiatorumque consessu. Quae contio fuit per hos annos, quae quidem esset non conducta, set vera, in qua populi Romani consensus perspici non posset? Habitae sunt multae de me a gladiatore sceleratissumo, ad quas nemo adibat incorruptus, nemo integer: nemo illum foedum voltum adspicere, nemo furialem vocem bonus audire poterat. Erant, erant illae contiones perditorum hominum necessario turbulentae. 107. Habuit de eodem me P. Lentulus consul contionem: concursus est populi Romani factus; omnes ordines, tota in illa contione Italia constitit. Egit causam summa cum gravitate copiaque dicendi, tanto silentio, tanta approbatione omnium, nihil ut unquam videretur tam populare ad populi Romani auris accidisse. Productus est ab eo Cn. Pompeius, qui se non solum auctorem meae salutis, set etiam supplicem populo Romano *praebuit.* [*Huius oratio et pergravis et grata in contionibus fuit.*] Sic contendo, nunquam neque sententiam eius auctoritate neque eloquentiam iucunditate fuisse maiore. 108. Quo silentio sunt auditi de me ceteri principes civitatis! quos idcirco non appello hoc loco, ne mea oratio, si minus de aliquo dixero, ingrata, si satis de omnibus, infinita esse videatur. Cedo nunc eiusdem illius inimici mei de me eodem ad verum populum in campo Martio contionem! Quis non modo approbavit, set non indignissumum facinus putavit illum non dicam loqui, set vivere ac spirare? quis fuit, qui non eius voce maculari rem publicam seque, si eum audiret, scelere adstringi arbitraretur?

ERN. 5. *nulla — — nullae — nulla* 17. Poetae tribuitur *Sed.* 18. *inscitia sit* 22. *ad populi* 27. *ea discordiam* 30. *plebi Romanae* (*plebei* A. bc.)

LECTT. abcd. 3. *voluerunt omnia* mediis omissis a. Ibid. *desinunt* c. non bd. 4. *ad C. Marium* bcd. Ibid. *qui seditiosis* mance a. 5. *nulla — — nullae — nulla* bcd. Ibid. *tuae, qui de civitate* mance a. 6. *insititium* c. non bd. 7. *incitatae de censu* bc. non d. 11. *cursu vitae aut* ac. non bd. Ibid. *dimovere* abcd. 13. *haec immortalia, haec divina* a sola. 14. *propagantur. Nunc nisi me fallit* (§. 106) a. 17. *sed id quod* c sola. 18. *inscitia sit* bd. non c. 19. *postulare.* * *Si vi laborem* b. *postulare.* * *Si tu laborem* cd. 22. *via ratio* (A.) c sola. Ibid. *capessendae hodie erat* d sola. 23. *ad populi* bcd. 26. *T. Gracchus* bcd. 27. *videbantur. contra* bc. non d. Ibid. *ea discordiam* d sola. 30. *plebi Romanae* d sola. 32. *memoria, consulto* c sola. 33. *Nunc tamen nihil* c sola.

LECTT. MEM. 22. *haec via rei publicae* Madvigius. Malim: *haec via ac ratio.*

ERN. 1. *plebs* Ibid. *otium malle videatur* (*otium amplexatur* Madvigius e vestigiis codicum: *otium malexatur* A. *male vexatur* B.) 27. *exhibuit* (contra usum Tullianum: *praebuit* supplevit Madvigius, cum exiderit ex AB.) Ibid. Uncos om. Additi sunt auctore Madvigio. Ibid. *grata concioni fuit*

LECTT. abcd. 1. *plebs* bcd. Ibid. *otium malle videatur* bd. *otium ferre malle videatur* c. 7. *illis temporibus* d sola. 12. *ostendebatur* c sola. 19. *perspici posset* abcd. Ibid. *sceleratissimo conciones* bc. non d. 20. *nemo integer. erant enim illae* a. 23. *factus, egit causam* a. 27. *grata in contione fuit, quo silentio* a. Ibid. *grata contioni fuit* b. non cd. Retenta lectione Codd. Bernn. optimorum *in contionibus* clarius etiam apparet hanc esse otiosi grammatici annotationem margini aliquando adscriptam, quam correcturus librarius Cod. Regii, qui haud raro interpolandi artem exercuit, numerum singularem utique minus ineptum substituit plurali. Ibid. *contende* b sola. 28. *maiorem* cd. non b. 30. *ingrata sit: si* abc. non d. 34. *si tum audiret* abc. non d.

LECTT. MEM. 15. *operas removeris* Madvigius, *operas conductas removeris* Muellerus in Curis sec. Cum *conductorum* vix sit gen. plur. voc. *conductor*, malim nunc *concitatorum* a voc. *concitator*, ut §. 110. 21. *poterat. Erant illae* Madvigius.

LI. 109. Venio ad comitia sive magistratuum placet sive legum. Leges videmus saepe ferri multas. Omitto eas, quae feruntur ita, vix ut quini, et ii ex aliena tribu, qui suffragium ferant, reperiantur. De me, quem tyrannum atque ereptorem libertatis esse dicebat illa ruina rei publicae, dicit se legem tulisse. Quis est, qui se, cum contra me ferebatur, inisse suffragium confiteatur? Cum autem de me eodem ex senatus consulto comitiis centuriatis ferebatur, quis est, qui non profiteatur se adfuisse et suffragium de salute mea tulisse? Utra igitur causa popularis debet videri: in qua omnes honestates civitatis, omnes aetates, omnes ordines una consentiunt? an in qua furiae concitatae tamquam ad funus rei publicae convolant? 110. An, sicubi aderit Gellius, homo et fratre indignus, viro clarissumo atque optumo consule, et ordine equestri, cuius ille ordinis nomen retinet, ornamenta confecit, id erit populare? — „Est enim homo iste populo Romano deditus.“ — Nihil vidi magis: qui cum eius adolescentia in amplissumis honoribus summi viri, L. Philippi, vitrici, florere potuisset, usque eo non fuit popularis, ut bona solus comesset. Deinde ex impuro adolescente et petulante, posteaquam rem paternam ab idiotarum divitiis ad philosophorum regulam perduxit, Graeculum se atque otiosum putari voluit, studio litterarum se subito dedidit. Nihil † sane Attae iuvabant anagnostae; libelli pro vino etiam saepe oppignerabantur; manebat insaturabile abdomen, copiae deficiebant. Itaque semper versabatur in rerum novarum *cogitatione*: otio et tranquillitate rei publicae consenescebat.

LII. Ecquae seditio unquam fuit, in qua non ille princeps? ecqui seditiosus, cui ille non familiaris? ecquae turbulenta contio, cuius ille non concitator? cui bene dixit unquam bono? bene dixit? immo, quem fortem et bonum civem non petulantissume est insectatus? qui, ut credo, non libidinis causa, set ut plebicola videretur, libertinam duxit uxorem. 111. Is de me suffragium tulit, is adfuit, is interfuit epulis et gratulationibus parricidarum. In quo tamen est me ultus, cum illo ore inimicos est meos suaviatus. Qui, quasi mea culpa bona perdiderit, ita ob eam ipsam causam est mihi inimicus, quia nihil habet. Utrum ego tibi patrimonium eripui, Gelli, an tu comedisti? Quid? tu meo periculo, gurges ac vorago patrimoni, helluabare, ut, si ego consul rem publicam contra te et gregalis tuos defendissem, in civitate esse me nolles? Te nemo tuorum videre volt: omnes aditum sermonem congressum tuum fugiunt: te sororis filius Postumius, adolescens gravis, senili iudicio, notavit, cum in magno numero tutorem liberis non instituit. Set elatus odio et meo et rei publicae nomine, quorum ille utri sit inimicior, nescio, plura dixi, quam dicendum fuit, in furiosissumum atque egentissumum ganeonem. 112. Illuc revertor: contra me ✝ cum sit actum, capta Urbe atque oppressa Gellium, Firmidium, Titium, eiusdem modi furias illis mercenariis gregibus

ERN. 2. *et hi* Ibid. *ex alia* (*ex aliena* ABCb.) 3. *dicebat, in illa ruina rei publicae dicit* (*dicebat illa ruina rei publicae, dicit* ABC) 9. [*atque optimo consule*] 16. *etiam pro vino* 17. *in spe rerum novarum* 29. *Postumus*

LECTT. abcd. 1. *sive magistratuum sive legum placet. de me, quem tyrannum* a. 2. *et hi* bc. non d. Ibid. *ex ima* c. *ex alia* d. 4. *qui cum* — — *inisse se* a sola. 9. *atque optimo consule* om. a. 10. *populare? usque eo* a. 12. *T. Philippi* b. *honoribus L. Philippi virtute florere* c. 13. *comesset. libelli etiam pro vino* a. 15. *nihil sane * attae iuvabant, anagnostae, libelli etiam pro vino* b. *nihil sane te iuvabant anagnostae, libelli etiam pro vino* c. *nihil sane a te iuvabatur. Anagnostae, libelli pro vino etiam* d. 17. *deficiebant. qui quasi mea culpa* a. Ibid. *in rerum novarum * otio* b. (ut ABC.) *in spe rerum novarum* d. Ut nos, c. 24. *tamen est * ne ullus cum illo reo inimicus? est meus saviatus* bd. (*suaviatus* d.) *tum est * ne ullus cum illo reo inimicus: est meus Sauoniatus* c. 29. *fugiunt. Plura dixi.* a. Ibid. *Posthumius* bcd. 30. *numero tutorum tutorem* c sola. 31. *inimicitior* d. non bc. 32. *ganeonem. Veniamus ad ludos* (§. 115.) a. Ibid. *quid si actum* c sola.

LECTT. MEM. 15. *Nihil sane Attici iuvabant anagnostae; libelli* Madvigius. 29. „Dele *gravis.*“ Dobraeus Advv. 2. p. 376. 32. *cum est actum* Madvigius. Fort. pro *actum* scribendum *latum*; quod requiri videtur a vv. *lator* et *ferebatur*; *actum* nimis infinitum.

duces et auctores fuisse, cum ipse lator nihil ab horum turpitudine audacia sordibus abhorreret. At, cum de dignitate mea ferebatur, nemo sibi nec valetudinis excusationem nec senectutis satis iustam putavit: nemo fuit, qui se non rem publicam mecum simul revocare in suas sedis arbitraretur.

LIII. 113. Videamus nunc comitia magistratuum. Fuit collegium nuper tribunicium, in quo tres minume, vehementer duo populares existimabantur. Ex iis, qui populares non habebantur, quibus in illo genere conductarum contionum consistendi potestas non erat, duo a populo Romano praetores video esse factos: et, quantum sermonibus volgi et suffragiis intellegere potui, prae se populus Romanus ferebat sibi illum in tribunatu Cn. Domiti animum constantem et egregium et Q. Anchari fidem ac fortitudinem, etiam si nihil agere potuissent, tamen voluntate ipsa gratum fuisse. Iam de C. Fannio quae sit existimatio, videmus: quod iudicium populi Romani in honoribus eius futurum sit, nemini dubium esse debet. 114. Quid? populares illi duo quid egerunt? Alter, qui tamen se continuerat, tulerat nihil, senserat tantum de re publica aliud, atque homines exspectabant, vir et bonus et innocens et bonis viris semper probatus, quod parum videlicet intellexit in tribunatu, quid vero populo probaretur, et quod illum esse populum Romanum, qui in contione erat, arbitrabatur, non tenuit eum locum, in quem, nisi popularis esse voluisset, facillume pervenisset. Alter qui ita se in populari ratione iactarat, ut auspicia, legem Aeliam, senatus auctoritatem, consulem, collegas, bonorum iudicium nihil putaret, aedilitatem petivit cum bonis viris et hominibus primis, set non praestantissumis opibus et gratia: tribum suam non tulit, Palatinam denique, per quam omnes illae pestes vexare rem publicam dicebantur, perdidit; nec quidquam illis comitiis, quod boni viri vellent, nisi repulsam tulit. Videtis igitur, populum ipsum, ut ita dicam, iam non esse popularem, qui ita vehementer eos, qui populares habentur, respuat, eos autem, qui ei generi adversantur, honore dignissumos iudicet.

LIV. 115. Veniamus ad ludos. Facit enim, iudices, vester iste in me animorum oculorumque coniectus, ut mihi iam licere putem remissiore uti genere dicendi. Comitiorum et contionum significationes interdum verae sunt, nonnunquam vitiatae atque corruptae: theatrales gladiatoriique consessus dicuntur omnino solere levitate nonnullorum emptos plausus exilis et raros excitare. Ac tamen facile est, cum id fit, quemadmodum et a quibus fiat et quid integra multitudo faciat, videre. Quid ego nunc dicam, quibus viris aut cui generi civium maxume applaudatur? Neminem vestrûm fallit. Sit hoc sane leve, quod non ita est, quoniam optumo cuique impertitur: set, si est leve, homini gravi leve est; ei vero, qui pendet rebus levissumis, qui rumore et (ut ipsi locuntur) favore populi tenetur et ducitur, plausum immortalitatem, sibilum mortem videri necesse est. 116. Ex te igitur, Scaure, potissumum quaero, qui ludos apparatissumos magnificentissumosque fecisti, ecquis istorum popularium tuos ludos adspexerit, ecquis se theatro populoque Romano commiserit. Ipse ille maxume ludius, non solum spectator, set actor et acroama, qui omnia sororis embolia novit, qui in coetum mulierum pro psaltria adducitur, nec tuos ludos adspexit in illo ardenti tribunatu suo nec ullos

ERN. 6. *his* 21. *vexare populum Romanum* 25. Abest *iste.* 29. *Attamen* (*Ac tamen* AB.) 32. *pendet a rebus*

LECTT. abcd. 1. *abhorret* bd. non c. 5. *Videmus* bc. non d. 6. *his* bc. non d. 7. *duos* c sola. 10. *egregiam atque Ancharii* bc. *egregiam atque Q. Ancharii* d. 13. *qui tantum se* c sola. 15. *quid populo probaretur et quid illum esse populus Romanus* c sola. 18. *Heliam* bcd. Ibid. *consulum* c sola. 21. *vexare populum Romanum* bcd. 22. *tam non* c sola. 26. *oculorumque contuitus* abcd. Ibid. *dicendi. et quaeso hoc loco* (§. 119.) a. 28. *et exiles* d sola. 31. *non ita sentio, quoniam* b. *non ita sunt, quoniam* c. Ut nos, d. 32. *impartitur* d sola. 32. *pendet a rebus* bc. non d. 35. *apparatissimos fecisti* b sola. 37. *achroma* c sola. Ibid. *coetu* a sola.

alios nisi eos, a quibus vix vivos effugit. Semel, inquam, se ludis homo popularis commisit omnino, cum in templo Honoris-Virtutis honos habitus esset virtuti Caique Mari, conservatoris huius imperi, monumentum municipi eius et rei publicae defensori sedem ad salutem praebuisset.

LV. 117. Quo quidem tempore, quid populus Romanus sentire se ostenderet, utroque in genere declaratum est: primo, cum audito senatus consulto rei ipsi atque absenti senatui plausus est ab universis datus: deinde, cum senatoribus singulis spectatum e senatu redeuntibus. Cum vero ipse, qui ludos faciebat, consul assedit, stantes ei manibus passis gratias agentes et lacrumantes gaudio, suam erga me benevolentiam ac misericordiam declararunt. At, cum ille furibundus incitata illa sua vecordi mente venisset, vix se populus Romanus tenuit; vix homines odium suum a corpore eius impuro atque infando represserunt. Voces quidem et palmarum intentus et maledictorum clamorem omnes profuderunt. 118. Set quid ego populi Romani animum virtutemque commemoro libertatem iam ex diuturna servitute dispicientis in eo homine, cui tum petenti iam aedilitatem ne histriones quidem coram sedenti pepercerunt? Nam cum ageretur Togata, Simulans, ut opinor, caterva tota clarissuma concentione in ore impuri hominis imminens contionata est: *Huic vitae tuae* — et, *Postprincipia atque exitus vitiosae vitae!* Sedebat exanimatus: et is, qui antea cantorum convicio contiones celebrare suas solebat, cantorum ipsorum vocibus eiiciebatur. Et, quoniam facta mentio est ludorum, ne illud quidem praetermittam, in magna varietate sententiarum nunquam ullum fuisse locum, in quo aliquid a poëta dictum cadere in tempus nostrum videretur, quod aut populum universum fugeret aut non exprimeret ipse actor. 119. Et, quaeso, hoc loco, iudices, ne qua levitate me ductum ad insolitum genus dicendi labi putetis, si de poëtis, de histrionibus, de ludis in iudicio loquar.

LVI. Non sum tam ignarus, iudices, causarum, non tam insolens in dicendo, ut omni ex genere orationem aucuper et omnis undique flosculos carpam atque delibem. Scio, quid gravitas vestra, quid haec advocatio, quid ille conventus, quid dignitas P. Sesti, quid periculi magnitudo, quid aetas, quid honos meus postulet. Set mihi sumpsi hoc loco doctrinam quandam iuventuti, qui essent optumates. In ea explicanda demonstrandum est non esse popularis omnis eos, qui putentur. Id facillume consequar, si universi populi iudicium verum et incorruptum et si intumos sensus civitatis expressero. 120. Quid fuit illud, quod, recenti nuntio de illo senatus consulto, quod factum est in templo Virtutis, ad ludos scaenamque perlato, consessu maxumo, summus artifex et mehercule semper partium in re publica tamquam in scaena optumarum, flens et recenti laetitia et mixto dolore ac desiderio mei, egit aput populum Romanum multo gravioribus verbis meam causam, quam egomet de me agere potuissem? Summi enim poëtae ingenium non solum arte sua, set etiam dolore exprimebat.

ERN. 5. *ostenderit* (*ostenderet* ABCd.) 6. *ore* (*rei* Garatonius et Dobraeus Advv. 2. p. 376.) 8. *stantes et* 14. *respicientis* 22. *me levitate* (*levitate me* Vatic. A.) 33. *misto* 34. *egit aperte multo*

LECTT. abcd. 2. *in templo virtus honori honos* bc. *in templo virtutis honos* d. 3. *municipii* bc. non d. 5. *ostenderit* bc. 6. *Primo enim audito* c sola. 8. *stantes et* abd. non c. 11. *nefando* a. 12. *omnem* bc. non d. 14. *respicientis* b. *despicientis* cd. 16. *Huic vice * tua post principia* bc. non d. 19. *et illud quidem non praetermittam* c sola. 22. *me levitate* abcd. 26. *illi conventus* bcd. 28. *demonstrandum fuit* abc. non d. 29. *putentur. Ex te igitur, Scaure — — — fecisti cur ille ipse maxime ludius — — — vivus effugit* (§. 116.) *vix se populus Ro. — — — represserunt* (§. 117.) *ne histriones quidem — — — pepercerunt* (§. 118.) *Quid fuit illud? quod summus artifex* mance et perturbate a. 32. *partium inter plebem tamquam* c sola. 33. *optimatium* d sola. Ibid. *maesto* a. *misto* bc. non d. 34. *egit aperte multo* abd. non c. 35. *exprimebat. Tum illa, quanto cum gemitu* a.

LECTT. MEM. 10. Fort.: *incitatus.* 32. Fort. *partium tam in re publica quam in scaena.* 34. *ad populum R.* Madvigius ex lectt. AB. *a P. R.*

„† *Qua enim? qui rem publicam certo animo adiuverit, statuerit, steterit cum Achivis*" — vobiscum me stetisse dicebat, vestros ordines demonstrabat: revocabatur ab universis — „*re dubia haut dubitarit vitam offerre nec capiti pepercerit.*" 121. Haec quantis ab illo clamoribus agebantur! cum iam omisso gestu, verbis poëtae et studio actoris et exspectationi nostrae plauderetur: „*Summum amicum, summo in bello*" — nam illud ipse actor adiungebat amico animo et fortasse homines propter aliquod desiderium approbabant: „*summo ingenio praeditum.*"

LVII. Iam illa, quanto cum gemitu populi Romani ab eodem paullo post in eadem fabula sunt acta! „*O pater!*" — Me, me ille absentem ut patrem deplorandum putabat, quem Q. Catulus, quem multi alii saepe in senatu patrem patriae nominarant. Quanto cum fletu de illis nostris incendiis ac ruinis, cum patrem pulsum, patriam afflictam deploraret, domum incensam eversamque, sic egit, ut demonstrata pristina fortuna, cum se convertisset, „*Haec omnia vidi inflammari:*" — fletum etiam inimicis atque invidis excitaret! 122. Pro dii immortales! quid, illa quemadmodum dixit idem? quae mihi quidem ita et acta et scripta videntur esse, ut vel a Q. Catulo, si revixisset, praeclare posse dici viderentur; is enim libere reprehendere et accusare populi nonnunquam temeritatem solebat aut errorem senatus: „*O ingratifici Argivi, immunes Grai, immemores benefici!*" Non erat illud quidem verum; non enim ingrati, set miseri, quibus reddere salutem, a quo acceperant, non liceret; nec unus in quemquam unquam gratior quam in me universi; — set tamen illud scripsit disertissumus poëta pro me; egit fortissumus actor, non solum optumus, de me, cum omnis ordines demonstraret, senatum, equites Romanos, universum populum Romanum accusaret: „*Exsulare sinitis, sistis pelli, pulsum patimini.*" Quae tum significatio fuerit omnium, quae declaratio voluntatis ab universo populo Romano in causa hominis non popularis, equidem audiebam: existimare facilius possunt, qui adfuerunt.

LVIII. 123. Et, quoniam me huc provexit oratio, histrio casum meum totiens collacrumavit, cum ita dolenter ageret causam meam, ut vox eius illa praeclara lacrumis impediretur. Neque poëtae, quorum ego semper ingenia dilexi, tempori meo defuerunt; eaque populus Romanus non solum plausu, set etiam gemitu suo comprobavit. Utrum igitur haec Aesopum potius pro me aut Accium dicere oportuit, si populus Romanus liber esset, an principes civitatis? Nominatim sum appellatus in Bruto, „*Tullius, qui libertatem civibus stabiliverat.*" Miliens revocatum est. Parumne videbatur populus Romanus iudicare, id a me et a senatu

ERN. 1. *Quid enim* (*Qua enim* ABC. bc.) 3. *nec dubitarit* (*haut dubitarit* Madvigius e vestigiis Codicum: *ut dubitarit.*) 6. *fortassis* 7. *animo* err. typogr. 8. *Tum illa* 15. *a Catulo* (*a Q. Catulo* A.) 17. *inanes* 22. *sivistis* 24. *audiebamus* 31. *populum Romanum*

LECTT. abcd. 1. *quam enim certo animo qui rempub. adiuverit, steterit* d. 3 *re dubia * ut dubitari tu iam offerre* b. *ab universis nec dubitavit se offerre* c. Ut nos, d. Ibid. *peperit* bc. non d. 4. *auctoris* ad. non c. 6. *fortassis* b. *animo et quod fortassis* c. 8. *Tum illa* d sola. 9. *putarat* ad. non bc. 10. *Quanto cum fletu? cum patrem* a. 12. *fortuna fletum etiam — — — excitaret. Nominatim* (§. 123.) *revocatus* (sic) *est. In hunc consensum* (sic) *P. Sestius tribunus pl.* (§. 124.) — — — *ulla in causa diceretur. Tu etiam mihi* (sic) *M. Atilium Regulum* (§. 127.) — — — *reditum fuisse? Hunc ego reditum* (§. 128.) — — — *exteris commendarit? Quem curia magis — — — dignitatis? Reditus vero meus qui fuerit, quis ignorat? cum ipsis Nonis* (§. 131.) — — — *ut dixisti. Et cohortari* (§. 135.) a. 15. *a Catulo* bcd. 17. *inanes* bcd. 22. *sivistis* bcd. (*exulare sinite, sivistis* c. Ibid. *quae tamen sign.* b sola. 24. *audiebamus* d. non bc. 25. *huc me* d. (non bc.) 31. *populum Romanum* d. (*P. R.* bc.)

LECTT. MEM. 20. *poëta pro re* Madvigius. Sed praeterquam quod hoc nimis infinitum est, immemor fuit V. C. verborum §. 123. *Utrum igitur haec Aesopus potius pro me aut Accium dicere oportuit.* Utrumque hoc significat „quasi divinans hos versiculos aliquando applicatum iri ad defensionem laudemque meam."

esse constitutum, quod perditi cives sublatum per nos criminabantur? 124. Maxume vero populi Romani iudicium universi consessu gladiatorio declaratum est. Erat enim munus Scipionis, dignum et eo ipso et illo Metello, cui dabatur. Id autem spectaculi genus erat, quod omni frequentia atque omni genere hominum celebratur, quo multitudo maxume delectatur. In hunc consessum P. Sestius, tribunus pl., cum ageret nihil aliud in eo magistratu nisi meam causam, venit et se populo dedit, non plausus cupiditate, set ut ipsi inimici nostri voluntatem universi populi viderent. Venit (ut scitis) a columna Maenia. Tantus est ex omnibus spectaculis usque a Capitolio, tantus ex fori cancellis plausus excitatus, ut nunquam maior consensio aut apertior populi Romani universi fuisse ulla in causa diceretur. 125. Ubi erant tum illi contionum moderatores, legum domini, civium expulsores? aliusne est aliquis improbis civibus peculiaris populus, cui nos offensi invisique fuerimus?

LIX. Equidem existimo nullum tempus esse frequentioris populi quam illud gladiatorium, neque contionis ullius neque vero ullorum comitiorum. Haec igitur innumerabilis hominum multitudo, haec populi Romani tanta significatio sine ulla varietate universi, cum illis ipsis diebus de me actum iri putaretur, quid declaravit nisi optumorum civium salutem et dignitatem populo Romano caram esse universo? 126. At vero ille, qui de me non patris avi proavi, maiorum denique suorum omnium, set Graeculorum instituto contionem interrogare solebat, „Velletne me redire," et, cum erat reclamatum semivivis mercenariorum vocibus, populum Romanum negare dicebat: is, cum quotidie gladiatores spectaret, nunquam est conspectus, cum veniret. Emergebat subito, cum sub tabulas subrepserat, ut „*Mater te appello*" — dicturus videretur. Itaque illa via latebrosa, qua spectatum ille veniebat, Appia iam vocabatur. Qui tamen quoquo tempore conspectus erat, non modo gladiatores, set equi ipsi gladiatorum repentinis sibilis extimescebant. 127. Videtisne igitur, quantum inter populum Romanum et contionem intersit? dominos contionum omni odio populi notari? quibus autem consistere in operarum contionibus non liceat, eos omni populi Romani significatione decorari? Tu mihi etiam M. Atilium Regulum commemoras, qui redire ipse Karthaginem sua voluntate ad supplicium, quam sine iis captivis, a quibus ad senatum missus erat, Romae manere maluerit, et mihi negas optandum reditum fuisse per familias comparatas et homines armatos?

LX. Vim scilicet ego desideravi, qui, dum vis fuit, nihil egi et quem, si vis non fuisset, nulla res labefactare potuisset. 128. Hunc ego reditum repudiarem, qui ita florens fuit, ut verear, ne quis me studio gloriae putet idcirco exisse, ut ita redirem? Quem enim unquam senatus civem nisi me nationibus exteris commendavit? cuius unquam propter salutem nisi meam senatus publice sociis populi Romani gratias egit? De me uno patres conscripti decreverunt, ut, qui provincias cum imperio obtinerent, qui quaestores legatique essent, salutem et vitam [meam] custodirent. In una mea causa post Romam conditam factum est, ut litteris

---

ERN. 1. *Maximum* 2. *universo* 3. *Q. Metello* (*Metello* Vat.) 7. *ad columnam Meniam* 16. *At vero et ille tribunus pl.* (*At vero ille* Madvigius.) 20. *conspectus. Cum veniret, emergebat subito* 36. *meam* sine uncis.

LECTT. abcd. 1. *quid perditi* c. Ibid. *Maximum* bd. non c. 2. *universo* bcd. 6. *causam egit. is se populo* a. 7. *ad columnam Meniam* abd. *columna Maenia* omisso *a.* c. 16. *universis* c sola. Ibid. *At vero ille tribunus pl.* bc. *At vero et ille tribunus pl.* d. 20. *conspectus. Cum veniret, immergebat* (sic) *subito* bc. non d. 23. *quantum * inter P. R. et concionem, dominos* b sola. 27. *sine his* abcd. Ibid. *pro quibus* a sola. 30. *ego scilicet ego* b. non cd. 36. *vitam custodirent* cd. non b. Ibid. *in mea una* bc. non d.

LECTT. MEM. 7. Cum B. habeat *a Maenia columna*, vide ne *columna* sit e gloss., sed perantiquo, cum iam sit in Vatic. 16. *At vero ille praetor* Garatonius.

consularibus ex senatus consulto cuncta ex Italia omnes, qui rem publicam salvam vellent, convocarentur. Quod nunquam senatus in universae rei publicae periculo decrevit, id in unius mea salute conservanda decernendum putavit. Quem curia magis requisivit? quem forum luxit? quem aeque ipsa tribunalia desideraverunt? Omnia discessu meo deserta horrida, muta plena luctus et maeroris fuerunt. Quis est Italiae locus, in quo non fixum sit in publicis monumentis studium salutis meae, testimonium dignitatis?

LXI. 129. Nam quid ego illa de me divina senatus consulta commemorem? vel quod in templo Iovis Optumi Maxumi factum est, cum vir is, qui tripertitas orbis terrarum oras atque regiones tribus triumphis adiunctas huic imperio notavit, de scripto sententia dicta mihi uni testimonium patriae conservatae dedit; quoius sententiam ita frequentissumus senatus secutus est, ut unus dissentiret hostis idque ipsum tabulis publicis mandaretur ad memoriam posteri temporis sempiternam: vel quod est postridie decretum in curia populi ipsius Romani et eorum, qui ex municipiis convenerant, admonitu, ne quis de caelo servaret; ne quis moram ullam afferret; si quis aliter fecisset, eum plane eversorem rei publicae fore idque senatum gravissume laturum; et ut statim de eius facto referretur —? Qua gravitate sua cum frequens senatus nonnullorum scelus audaciamque tardasset, tamen illud addidit, si diebus quinque, quibus agi de me potuisset, non esset actum, redirem in patriam dignitate omni recuperata.

LXII. Decrevit eodem tempore senatus, ut iis, qui ex tota Italia salutis meae causa convenerant, agerentur gratiae atque ut iidem, ad res redeuntes ut venirent, rogarentur. 130. Haec erat studiorum in mea salute contentio, ut ii, qui a senatu de me rogabantur, eidem senatui pro me supplicarent. Atque ita in his rebus unus est solus inventus, qui ab hac tam impensa voluntate bonorum palam dissideret, ut etiam Q. Metellus consul, qui mihi vel maxume ex magnis contentionibus rei publicae fuisset inimicus, de mea salute rettulerit. Qui excitatus cum summa auctoritate P. Servili, tum *incredibili* quadam gravitate dicendi, cum ille omnis prope ab inferis evocasset Metellos et ad illius generis, quod sibi cum eo commune esset, dignitatem propinqui sui mentem a Clodianis latrociniis reflexisset; cumque eum ad domestici exempli memoriam et ad Numidici illius Metelli casum vel gloriosum vel gravem convertisset, collacrumavit vir egregius ac vere Metellus totumque se P. Servilio dicenti etiam tum tradidit nec illam divinam gravitatem plenam antiquitatis diutius homo eiusdem sanguinis potuit sustinere et mecum absens beneficio suo rediit in gratiam. 131. Quod certe, si est aliqui sensus in morte praeclarorum virorum, cum omnibus Metellis, tum vero uni viro fortissumo et praestantissumo civi gratissumum fratri suo fecit, socio laborum periculorum consiliorum meorum.

LXIII. Reditus vero meus qui fuerit, quis ignorat? quemadmodum mihi advenienti tamquam totius Italiae atque ipsius patriae dexteram porrexerint Brundisini; cum ipsis Nonis

---

ERN. 8. *tripartitas* 20. *iidem* (*eidem* BC. bc.) 25. *summa cum auctoritate P. Servilii, tum quadam* 30. Abest *suo.*

LECTT. abcd. 8. *tripartitas* d. 16. *tum illud* d sola. Ibid. *nisi d. q. q. a. de me potuisset, esset actum* b. *addidit, non diebus q. q. a. de me potuisset, non esset actum* c. *nisi d. q. q. a. de me potuisset, non esset actum* d. 18. *ut his* d. 19. *ut idem ad * res* bc. Ibid. *rogarent* b. non cd. 20. *ut hi* bc. non d. Ibid. *iidem* d. 24. *summa cum a. P. Servilii quadam* bd. *tum quadam* c. 27. *deflexisset* b. *refixisset* c. Ut nos, d. 28. *et ad unum dicto citius Metelli* bcd. 29. *collacrimavit ut vir* bcd. 31. Abest *suo* bcd. 32. *alicui* b. *aliquis* c. *aliquid* d. 36. *patriae propugnatori dexteram* c sola.

LECTT. MEM. 9. *nobilitavit* Dobraeus Advv. 2. p. 376. id quod Ciceronis sententiae prorsus repugnat.

Sextilibus idem dies adventus mei fuisset reditusque natalis, idem karissumae filiae, quam ex gravissumo tum primum desiderio luctuque conspexi, idem etiam ipsius coloniae Brundisinae, idem Salutis, ut scitis: cumque me domus eadem optumorum et † doctissumorum virorum, Laenii Flacci et patris et fratris eius laetissuma accepisset, quae proxumo anno maerens receperat et suo praesidio periculoque defenderat. Itinere toto urbes Italiae festos dies agere adventus mei videbantur, viae multitudine legatorum undique missorum celebrabantur, ad urbem accessus incredibili hominum multitudine et gratulatione florebat, iter a porta, in Capitolium adscensus, domum reditus erat eiusmodi, ut summa in laetitia illud dolerem, civitatem tam gratam tam miseram atque oppressam fuisse. 132. Habes igitur, quod ex me quaesisti, qui essent optumates. Non est natio, ut dixisti: quod ego verbum agnovi; est enim illius, a quo uno maxume P. Sestius se oppugnari videt, hominis eius, qui hanc nationem deleri et concidi cupivit: qui C. Caesarem, mitem hominem et a caede abhorrentem, saepe increpuit, saepe accusavit, cum affirmaret illum nunquam, dum haec natio viveret, sine cura futurum. Nihil profecit de universis: de me agere non destitit; me oppugnavit, primum per indicem Vettium, quem in contione de me et de clarissumis viris interrogavit. In quo tamen eos civis coniunxit eodem periculo et crimine, ut a me inierit gratiam, quod me cum amplissumis et fortissumis viris congregavit.

LXIV. 133. Set postea mihi nullo meo merito, nisi quod bonis placere cupiebam, omnis est insidias sceleratissume machinatus. Ille ad eos, a quibus audiebatur, cottidie aliquid ficti afferebat: ille hominem mihi amicissumum, Cn. Pompeium, monebat, ut meam domum metueret atque a me ipso caveret; ille se sic cum inimico meo copularat, ut illum meae proscriptionis, quam adiuvabat, Sex. Clodius, homo iis dignissumus, quibuscum vivit, tabulam esse, se scriptorem diceret; ille unus ordinis nostri discessu meo, luctu vestro, palam exsultavit. De quo ego, cum cottidie rueret, verbum feci, iudices, nunquam: neque putavi, cum omnibus machinis ac tormentis, vi exercitu copiis oppugnarer, de uno sagittario me queri convenire. Acta mea sibi ait displicere. Quis nescit? qui legem meam contemnat, quae dilucide vetat gladiatores biennio, quo quis petierit aut petiturus sit, dare? 134. In quo

---

ERN. 1. *adventus mei fuisset reditusque, natalis idem* (Baitero meo auctore nunc mutavi distinctionem dumtaxat proxime ad lectionem Codd. A. et S. Victoris, item d. *adventus mei fuisset reditus qui natalis.* Cfr. ad Attic. 3, 20, 1. *diemque natalem reditus mei.*) 2. *idemque Salutis* 5. *defenderat: cumque itinere* (*defenderat. Itinere* Madvig.) 19. *defecti* (*ficti* Garatonius probante Madvigio.) 22. *quam adiuvabat Sex. Clodius* 26. *legem eam*

LECTT. abcd. 1. *idem dies reditus mei fuisset, qui et natalis meus, idem et filiae meae charissimae, cumque itinere toto* a. *adventus mei fuisset qui reditus natalis: idem* c. b. a. *mei fuisset qui natalis: idem* c. c. a. *mei fuisset reditus qui natalis idem* c. d. 3. *idem ut scitis* bcd. Ibid. *virorum L. Flacci* bc. *virorum Laelii Flacci* d. 5. *defenderat: cumque itinere* (a.) bcd. Ibid. *agerent adventus mei: viae multitudine* ab. *dies adventus mei videbantur agere: viae mult.* c. Ut nos, d. 6. *accessu incredibili* b sola. 7. *hominum gratulatione florebat: reditus erat* a. 14. *Vectium* bcd. 19. *insidias machinatus* c sola. Ibid. *aliquid effecti* b. *aliquid defecti* cd. 21. *ut illius meae* bc. non d. 22. *quam adiuvabat Sex. Chloelius* b. *quam adiuvabat Sestius Clotellius* c. Ut Ern., d. Ibid. *his* d. sola. Ibid. *quibuscum vivit tot iam annos, sese scriptorem esse diceret* b. *quibuscum vivit unanimis sese scriptorem esse diceret* c. Ut nos, d. 24. *quotidie mereret* c. non bd. 25. *tormentis, exercitu, copiis oppugnaret* b. *tormentis, exercitu copiisque oppugnarer* c. Ut nos, d. Ibid. *de uno sagitta* c sola. 26. *convenire. ac tam * ea sibi alii displicere* b. *acta mea illi displicere quis nescit?* d. Ut nos, c. Ibid. *legem eam* bcd.

LECTT. MEM. 2. *idem Salutis; cumque* praefert Madvigius. Sed cum propter ductuum similitudinem in Codd. AB. exciderint vocabula, hic quoque mihi quidem probabilius videtur excidisse *Salutis*, quam corruptum esse in *ut scitis:* nec vero haec sunt otiosa, quoniam rem per se ipsam prope prodigiosam probabiliorem reddunt, quippe quae probe nota sit auditoribus ipsis. 27. „Vv. *petierit aut* delenda.“ Madvigius. Ego sic intelligo: *petierit,* post prensationem, *petiturus sit,* paullo ante prensationem.

eius temeritatem satis mirari, iudices, non queo. Facit apertissume contra legem: facit is, qui neque elabi ex iudicio iucunditate sua neque eniti gratia potest neque opibus et potentia leges ac iudicia perfringere. Quae res hominem impellit, ut sit tam intemperans? [Ista nimia gloriae cupiditate] Familiam gladiatoriam, credo, nactus est speciosam nobilem gloriosam. Norat studia populi, videbat clamores et concursus futuros. Hac exspectatione elatus homo, flagrans cupiditate gloriae, tenere se non potuit, quin eos gladiatores induceret, quorum esset ipse pulcherrumus. Si ob eam causam peccaret et pro recenti populi Romani in se beneficio populari studio elatus, tamen ignosceret nemo: cum vero ne de venalibus quidem homines electos, set ex ergastulis emptos nominibus gladiatoriis ornarit et sortito alios Samnitis, alios provocatores fecerit, tanta licentia, tanta legum contemptio non, quem habitura sit exitum, pertimescit? 135. Set habet defensiones duas: primum, „Do, inquit, bestiarios: lex est scripta de gladiatoribus.“ Festive! Accipite aliquid etiam acutius. Dicet se non gladiatores, set unum gladiatorem dare et totam aedilitatem in munus hoc transtulisse. Praeclara aedilitas! Unus Leo, ducenti bestiarii. Verum utatur hac defensione: cupio eum suae causae confidere. Solet enim tribunos pl. appellare et vi iudicium disturbare, cum diffidit. Quem non tam admiror, quod meam legem contemnit, hominis inimici, quam quod statuit omnino consularem legem nullam putare. Caeciliam Didiam, Liciniam Iuniam contempsit. Etiamne eius, quem sua lege et suo beneficio ornatum munitum armatum solet gloriari, C. Caesaris legem de pecuniis repetundis non putat esse legem? Et aiunt alios esse, qui acta Caesaris rescindant, cum haec optuma lex et ab illo socero eius et ab hoc assecula negligatur?

LXV. Et cohortari ausus est accusator in hac causa vos, iudices, ut aliquando essetis severi, aliquando medicinam adhiberetis rei publicae. Non ea est medicina, cum sanae parti corporis scalpellum adhibetur atque integrae; carnificina est ista et crudelitas: ii medentur rei publicae, qui exsecant pestem aliquam tamquam strumam civitatis. 136. Set ut extremum habeat aliquid oratio mea et ut ego ante dicendi finem faciam quam vos me tam attente audiendi, concludam illud de optumatibus eorumque principibus ac rei publicae defensoribus: vosque, adolescentes, et qui nobiles estis, ad maiorum vestrorum imitationem excitabo, et qui ingenio et virtute nobilitatem potestis consequi, ad eam rationem, in qua multi homines novi et honore et gloria floruerunt, cohortabor. 137. Haec est una via, mihi credite, et laudis et dignitatis et honoris: a bonis viris sapientibus et bene naturâ constitutis laudari et diligi; nosse descriptionem civitatis a maioribus nostris sapientissume constitutam; qui cum regiam potestatem non tulissent, ita magistratus annuos creaverunt, ut consilium senatus rei publicae

---

ERN. 2. *emitti* probante Madvigio. (*eniti* c. Verbum activi significatus, ut sunt *elabi, perfringere,* manifesto hic quoque requiritur. Respondet nostro *sich herauswinden:* nec facile aut *emitti* notius vocabulum in rarius casu corrumpi aut ab interpolatore mutari poterat.) 3. Uncos om. (Addidi de Madvigii coniectura.) 6. *hos* (*eos* scripsi ego.) 10. *contemptio, quem habitura sit exitum, non pertimescit?* 12. *dicit* 16. *contemnat* (*contemnit* Madvigius ex Codicum lectione *contempnet.*) Ibid. *quod se statuit* (*quod statuit* Lambinus probante Madvigio.) 17. *Aciliam* 20. *assecla* 22. *est ea* 23. *hi* 27. *vestrum* (errore typogr. edit. Gruterianae.) 31. *regum*

LECTT. abcd. 2. *emitti* bd. 3. *iste nimia* c sola. 6. *quorum et ipse* d sola. 9. *alios satellites* c sola. 10. *contemptio ne non habitura sit exitum non pertimescit* bd. *contemptione, non habitura* c. 11. *bestiariis* c sola. 12. *dicit* c sola. 17. *Anciliam* bc. *Aciliam* d. 18. *minutum* c. 20. *assecla* bcd. 22. *est ea* d. sola. 23. *hi* abc. non d. 25. *me attente* ac. non bd. 30. *et honoris et dignitatis* abc. non d. Ibid. *et sapientibus, bene a natura* abc. non d. 31. *regum* d sola.

LECTT. MEM. 7. In eandem atque ego coniecturam *peccaret pro recenti* incidit Muellerus in Curis sec. Nunc tamen video *et* servandum esse; est scilicet; „si ob eam exspectationem peccaret et — — populari studio elatus peccaret.“

praeponerent sempiternum, deligerentur autem in id consilium ab universo populo aditusque in illum summum ordinem omnium civium industriae ac virtuti pateret. Senatum rei publicae custodem praesidem propugnatorem collocaverunt: huius ordinis auctoritate uti magistratus et quasi ministros gravissumi consili esse voluerunt: senatum autem ipsum proximorum ordinum splendore confirmari, plebis libertatem et commoda tueri atque augere voluerunt.

LXVI. 138. Haec qui pro virili parte defendunt, optumates sunt, cuiuscunque sunt ordinis; qui autem praecipue suis cervicibus tanta munia atque rem publicam sustinent, ii semper habiti sunt optumatium principes, auctores et conservatores civitatis. Huic hominum generi fateor, ut ante dixi, multos adversarios inimicos invidos esse, multa proponi pericula, multas inferri iniurias, magnos esse experiundos et subeundos labores: set mihi omnis oratio est cum virtute, non cum desidia, cum dignitate, non cum voluptate; cum iis, qui se patriae, qui suis civibus, qui laudi, qui gloriae, non qui somno et conviviis et delectationi natos arbitrantur. Nam, si qui voluptatibus ducuntur et se vitiorum illecebris et cupiditatum lenociniis dediderunt, missos faciant honores; ne attingant rem publicam: patiantur virorum fortium labore se otio suo perfrui. 139. Qui autem bonam famam bonorum, quae sola vere gloria nominari potest, expetunt, aliis otium quaerere debent et voluptates, non sibi. Sudandum est iis pro communibus commodis, adeundae inimicitiae, subeundae saepe pro re publica tempestates: cum multis audacibus, improbis, nonnunquam etiam potentibus dimicandum. Haec audivimus de clarissumorum virorum consiliis et factis: haec accepimus, haec legimus. Neque eos in laude positos videmus, qui incitarunt aliquando populi animos ad seditionem aut qui largitione caecarunt mentis imperitorum aut qui fortis et claros viros et bene de re publica meritos in invidiam aliquam vocaverunt. Levis hos semper nostri homines et audacis et malos et perniciosos civis putaverunt. At vero qui horum impetus et conatus represserunt, qui auctoritate, qui fide, qui constantia, qui magnitudine animi consiliis audacium restiterunt, ii graves, ii principes, ii duces, ii auctores huius dignitatis atque imperi semper habiti sunt.

LXVII. 140. Ac, ne quis ex nostro aut aliquorum praeterea casu hanc vitae viam pertimescat, unus in hac civitate, quem quidem ego possim dicere, praeclare vir de re publica meritus, L. Opimius, indignissume concidit: cuius monumentum celeberrumum in foro, sepulchrum desertissumum in littore Dyrrhachino relictum est. Atque hunc tamen flagrantem invidia propter interitum C. Gracchi semper ipse populus Romanus periculo liberavit: alia quaedam civem egregium iniqui iudici procella pervertit. Ceteri vero aut repentina vi perculsi ac tempestate populari per populum tamen ipsum recreati sunt atque revocati aut omnino involnerati inviolatique vixerunt. At vero ii, qui senatus consilium, qui auctoritatem bonorum, qui instituta maiorum neglexerunt et imperitae aut concitatae multitudini iucundi esse voluerunt, omnes fere rei publicae poenas aut praesenti morte aut turpi exsilio dependerunt. 131. Quod si apud Atheniensis, homines Graecos, longe a nostrorum hominum gravitate disiunctos

---

ERN. 2. Abest *omnium*. 6. *cuiuscunque sint* 14. *patiantur viros fortes labore, se otio suo perfrui* 17. *his* (*iis* A.) 25. *huius ordinis et dignitatis*

LECTT. abcd. 2. *industria ac virtute* ac. non bd. 3. *uti auctoritate* a sola. 6. *sint* abcd. 7. *sustineant* d sola. 8. *optimatum* a. 9. *ut ante dixi* om. a. 10. *inferri insidias* d sola. 11. *cum his* d sola. 14. *nec attingant* abc. non d. Ibid. *patiantur viros laborum patientes frui* a. *patiantur virorum fortium labore se otio perfrui* b. *patiantur viros fortes labore, se otio suo perfrui* d. Ut nos, c. 15. *vere sola* a sola. 17. *his* abcd. 19. *audimus* d sola. 22. *nostri homines* om. ac. non bd. 23. *et conatus* om. a. 25. *hi duces, hi a.* c sola. Ibid. *huius ordinis et dignitatis* abc. non d. Ibid. *habiti sunt: et si quos eorum aut iniqui iudicii quaedam procella pervertit aut aliqua repentina vis ac tempestas perculit popularis* a. 26. *in hac vita* c sola. 27. *possum* d sola. Ibid. *praeclare de R. P.* b. non cd. 29. *flagrante* bc. non d. 35. *esse volunt* c sola.

non decrant, qui rem publicam contra populi temeritatem defenderent, cum omnes, qui ita fecerant, e civitate eiicerentur: si Themistoclem illum, conservatorem patriae, non deterruit a re publica defendenda nec Miltiadi calamitas, qui illam civitatem paullo ante servarat, nec Aristidi fuga, qui unus omnium iustissumus fuisse traditur: si postea summi eiusdem civitatis viri, quos nominatim appellari non est necesse, propositis tot exemplis iracundiae levitatisque popularis tamen suam rem publicam illam defenderunt: quid nos tandem facere debemus, primum in ea civitate nati, unde orta mihi gravitas et magnitudo animi videtur; tum in tanta gloria insistentes, ut omnia humana leviora videri debeant; deinde ad eam rem publicam tuendam aggressi, quae tanta dignitate est, ut eam defendentem occidere satius sit, quam oppugnantem rerum potiri?

LXVIII. 142. Homines Graeci, quos antea nominavi, inique a suis civibus damnati atque expulsi, tamen, quia bene sunt de suis civitatibus meriti, tanta hodie gloria sunt non in Graecia solum, set etiam aput nos atque in ceteris terris, ut eos, a quibus illi oppressi sunt, nemo nominet, horum calamitatem dominationi illorum omnes anteponant. Quis Karthaginiensium pluris fuit Hannibale consilio virtute rebus gestis, qui unus cum tot imperatoribus nostris per tot annos de imperio et de gloria decertavit? Hunc sui cives e civitate eiecerunt: nos etiam hostem litteris nostris et memoria videmus esse celebratum. 143. Quare imitemur nostros Brutos, Camillos, Ahalas, Decios, Curios, Fabricios, Maxumos, Scipiones, Lentulos, Aemilios, innumerabilis alios, qui hanc rem publicam stabiliverunt: quos equidem in deorum immortalium coetu ac numero repono. Amemus patriam, pareamus senatui, consulamus bonis: praesentis fructus negligamus, posteritatis gloriae serviamus: id esse optumum putemus, quod erit rectissumum: speremus, quae volumus, set, quod acciderit, feramus: cogitemus denique corpus virorum fortium magnorumque hominum esse mortale, animi vero motus et virtutis gloriam sempiternam: neque hanc opinionem si in illo sanctissumo Hercule consecratam videmus, cuius corpore ambusto vitam eius et virtutem immortalitas excepisse dicatur, minus existimemus eos, qui hanc tantam rem publicam suis consiliis ac laboribus aut auxerint aut defenderint aut servarint, esse immortalem gloriam consecutos.

LXIX. 144. Set me repente, iudices, de fortissumorum et clarissumorum civium dignitate et gloria dicentem et plura etiam dicere parantem horum adspectus in ipso cursu orationis repressit. Video P. Sestium meae salutis, vestrae auctoritatis, publicae causae defensorem propugnatorem actorem, reum; video hunc praetextatum eius filium oculis lacrumantibus me intuentem; video Milonem, vindicem vestrae libertatis, custodem salutis meae, subsidium afflictae rei publicae, exstinctorem domestici latrocini, repressorem caedis cotidianae, defensorem templorum atque tectorum, praesidium curiae, sordidatum et reum; video P. Lentulum, cuius ego patrem deum ac parentem statuo fortunae ac nominis mei et fratris rerumque nostrarum, in hoc misero squalore et sordibus: quoi superior annus idem et virilem, patris,

---

ERN. 3. *Miltiadis* — — *Aristidis* 9. *occidere non aliud sit* (*occidere satius sit* dedi de mea coniectura.) 25. *dicitur* (*dicatur* ABC. probante Madvigio.) 31. *auctorem*

LECTT. abcd. 1. *defenderunt* a. 2. *fecerunt* ab. 3. *Miltiadis* — — *Aristidis* abcd. 4. *traditur: quid nos tandem* a. 9. *occidere non aliud sit* abcd. 12. *quia sunt de suis civitatibus bene meriti* a. *de suis commeriti* bc. non d. 13. *oppressi sint* d sola. 14. *Carthaginensium* abcd. 16. *de imperio, de gloria* a sola. 18. *Halas* abcd. 21. *posteritati et gloriae* abcd. 22. *quod volumus* abc. non d. 25. *dicitur* abcd. 26. *aut laboribus* abcd. 27. *consecuturos* b sola. 31. *auctorem* abcd. 35. *mei fratris* d sola.

LECTT. MEM. 9. *occidere optabilius sit* Schuetzius; item Dobraeus Advv. 2. p. 376. *occidere maius sit* Madvigius. Sed quod reposui, id prorsus usum Tullianum refert. Librariis volgaribus minus tritum SATIUSSIT corruptum primum cum esset in ALIUDSIT, paene necessario interpolator negationem inculcavit.

et praetextam, populi iudicio, togam dederit, hunc hoc anno, in hac toga rogationis iniustissumae subitam acerbitatem pro patre fortissumo et clarissumo cive deprecantem. 145. Atque hic tot et talium civium squalor, hic luctus, hae sordes susceptae sunt propter unum me, quia me defenderunt, quia meum casum luctumque doluerunt, quia me lugenti patriae, flagitanti senatui, poscenti Italiae, vobis omnibus orantibus reddiderunt. Quod tantum est in me scelus? quid tanto opere deliqui illo, illo die, cum ad vos indicia litteras confessiones communis exiti detuli, cum parui vobis? Ac, si scelestum est amare patriam, pertuli poenarum satis: eversa domus est, fortunae vexatae, dissupati liberi, raptata coniux, frater optumus, incredibili pietate, amore inaudito, maxumo in squalore volutatus est ad pedes inimicissumorum: ego pulsus aris focis dis penatibus, distractus a meis, carui patria, quam (ut levissume dicam) † certe texeram: pertuli crudelitatem inimicorum, scelus infidelium, fraudem invidorum. 146. Si hoc non est satis, quod haec omnia deleta videntur reditu meo: multo mihi, multo, inquam, iudices, praestat in eandem illam recidere fortunam quam tantam importare meis defensoribus et conservatoribus calamitatem. An ego in hac Urbe esse possim his pulsis, qui me huius urbis compotem fecerunt? Non ero; non potero esse, iudices, neque hic unquam puer, qui his lacrumis, qua sit pietate, declarat, amisso patre suo propter me, me ipsum incolumem videbit: nec, quotienscunque me viderit, ingemiscet ac pestem suam et patris sui sese dicet videre. Ego vero eos in omni fortuna, quaecunque erit oblata, complectar: nec me ab his, quos meo nomine sordidatos videtis, unquam ulla fortuna divellet: neque eae nationes, quibus me senatus commendavit, quibus de me gratias egit, hunc exsulem propter me sine me videbunt. 147. Set haec dii immortales, qui me suis templis advenientem receperunt stipatum ab his viris et P. Lentulo consule, atque ipsa res publica, qua nihil est sanctius, vestrae potestati, iudices, commiserunt. Vos hoc iudicio omnium bonorum mentis confirmare, improborum reprimere potestis: vos his civibus uti optumis, vos me reficere et renovare rem publicam. Quare vos obtestor atque obsecro, ut, si me salvom esse voluistis, eos conservetis, per quos me recuperavistis.

ERN. 7. *At* 10. *uti* 18. *vos* (*eos* Madvigius.) 19. *ab iis*

LECTT. abcd. 1. *praetextatam* d sola. 6. *deliqui illo die* c. sola. 7. *At* bc. non ad. 8. *rapta coniux* ac. non bd. 10. *uti* abc. non d. 14. *possum* abcd. 17. *et quotiescunque* ac. non bd. 19. *ab iis* d sola. 20. *hae* abcd. 22. *ab iis* d sola. Ibid. *P. Lentulus consul* abd. *P. Lentulo consuli* c. 23. Abest v. *iudices* ab Edd. ac. non bd. 25. *rem publicam potestis. Quare* abcd. Ibid. *sicut me salvum* a sola.

LECTT. MEM. 11. Probabiliter demonstrat Madvigius corrupta esse verba *certe texeram;* sed quod elicuit e corruptelis Codd. *certe deietexeram* (A.), *certa detexeram* (B.) *certe dilexeram*, ipsi non prorsus satisfacit. Rursum quod non nimis abit a vestigiis codicum *certe e clade extraxeram* (ut est supra §. 11. *Urbem ex periculis maxumis extraxissent*) vel *exemeram*, fortasse nimium est post illa vv. *ut levissume dicam*, quibus melius conveniret *certe defenderam.*

A D D E.

§. 12. *Italiae calles et pastorum stabula praeclara coepisset*] Cum nec *praedari* nec *peragrare* satis aptum verbum h. l. sit, vide, ne fuerit *penetrare*. Sic Velleius Paterc. 2, 5. *penetratis omnibus Hispaniae gentibus* et saepius.

* * *

Editionem Ascensianam tertiam, id quod nunc demum comperi, norat Petrus Victorius. Cfr. Epist. Lib. VI. p. 145. Florentiae 1586. fol. Nullae tamen Victorii partes fuerunt in Oratt. Ed. Venetae 1534. seqq.

INDEX LECTIONUM
IN
UNIVERSITATE TURICENSI
INDE
A DIE XVII. MENSIS OCTOBRIS M. DCCC. XXXIV.
USQUE
AD DIEM XX. MENSIS MARTII M. DCCC. XXXV.
HABENDARUM.

I. ORDINIS THEOLOGORUM:

1. Professorum ordinariorum:

M. Rettig, Dr. Theol., p. t. Decanus.

1) *Synopsin trium Evangeliorum priorum*, primis quattuor cuiusque hebdomadis diebus hora pomeridiana 5—6 interpretari perget.

2) Recentissimam *Christianae et religionis et ecclesiae historiam* diebus Veneris et Saturni, hora pomeridiana 5—6 enarrabit.

3) *Dogmaticae Christianae* priorem partem quotidie hora 11—12 tradet.

F. Hitzig, Dr. Theol.

1) *Archaeologiam hebraico-iudaicam*, secuturus de Wettii compendium (Ed. alt. 1830) diebus Lunae, Mercurii et Veneris hora 4—5 exponet.

2) Libros *Hiob* et *Cohelet* primis quattuor cuiusque hebdomadis diebus hora 10—11 interpretabitur.

3) Exercitationes in *Psalmis* selectis explicandis diebus Veneris et Saturni hora 10—11 instituet.

2. Professorum extraordinariorum:

Io. Schulthess, Dr. Theol.

1) *Pauli* Epistolas ad *Ephesios*, *Colossenses* et *Philemonem* interpretabitur horis postea constituendis.

2) *Epistolam ad Hebraeos* diebus Lunae, Martis et Mercurii hora 9—10 exponet.

3) De *memorabilibus Apostolorum* apud Iustinum Martyrem cum Evangeliis et canonicis et apocryphis comparatis disputabit diebus Veneris ac Saturni hora 9—10.

L. Hirzel, Dr. Phil.

1) *Encyclopaediam* et historiam disciplinarum theologicarum diebus Martis et Mercurii hora 3—4 docebit.

2) *Pauli primam Epistolam ad Corinthios* diebus Lunae, Mercurii et Veneris hora 8—9 explicabit.

S. Hess.

1) *Ethicen Christianam* quinis horis tradet.

2) *Homileticen* et *theologiam pastoralem* itidem quinis horis docebit.

3. Privatim Docentium:

I. C. Usteri, Parochus.

Pauli Epistolam ad Romanos diebus Lunae, Iovis et Veneris hora 2—3 interpretabitur.

M. Ulrich, V. D. M.

1) Utramque *Pauli ad Corinthios* epistolam quaternis horis postea constituendis exponet.

2) *Pauli* Epistolas ad *Ephesios*, *Colossenses* et *Philemonem* interpretabitur horis postea constituendis.

G. H. Schinz, V. D. M.

Evangelium *Ioannis* ternis horis postea constituendis explicabit.

I. Zimmermann, Parochus.

Epistolas catholicas interpretabitur.

II. ORDINIS IURECONSULTORUM:

1. Professorum ordinariorum:

L. de Loew, Dr.

1) *Ius privatum Germanicum*, excepto iure mercatorio, ratione autem habita institutorum Helvetiorum, Eichhornii compendium secuturus octonis horis, quarum duae destinatae erunt elaborandis causis Germanisticis, quotidie hora 4 — 5 et bis h. 5 — 6 vel 6 — 7 docebit.

2) *Iuris criminalis partem generalem* ter per hebdd. hora 5 — 6 vel 6 — 7 tradet.

G. Sell, Dr.

1) *Institutiones iuris Romani* adiuncta eiusdem historia novies vel decies per hebdd. hora 11 — 12 et h. 9 — 10 ternis quaternisve diebus postea constituendis docebit.

2) *Introductionem ad praxin iurisprudentiae*, ita, ut simul elaborentur quaestiones iuris theoreticae explicenturque legum loci selecti, moderabitur.

2. Professorum extraordinariorum:

F. L. Keller, Dr., p. t. Decanus.

Ius particulare Turicense ratione habita legum pagorum Helvetiae Germanicae, diebus Mercurii et Veneris horis 7 — 9, et Saturni hora 7 — 8 docebit.

H. Escher, Senator Turicensis.

1) *Ius civitatum ac gentium*, Pölitzii compendio usurus quinquies per hebdd. hora 4 — 5 vel 5 — 6 docebit.

2) *Processum criminalem* Henkii compendium secuturus quinis horis tradet.

3) *Oeconomiam politicam* Pölitzii curam adhibiturus quinquies itidem hora 4 — 5 vel 5 — 6 illustrabit.

I. C. Bluntschli, Dr.

1) *Pandectas* usurus Blumii compendio et Mühlenbruchii Doctrina Pandectarum denis horis prioribus quinque hebd. diebus horis 2 — 4 explanabit.

2) *Exercitationes exegeticas*, ratione semper habita lectionum in Pandectas habitarum binis vel ternis horis moderabitur.

3. Privatim docentium:

C. Weiland, Dr.

1) *Doctrinam juris philosophicam* sive ius naturae quaternis horis tradet.

2) *Gaii institutiones* quinis horis interpretabitur.

3) *Ius ecclesiasticum* quinis horis docebit.

4) *Ius Mosaicum* quinis horis illustrabit.

I. B. Sartorius, Dr.

1) *Encyclopaediam disciplinarum ad iurisprudentiam pertinentium* ternis horis tractabit:

2) *Scientiam politicam universalem*, ratione habita institutorum cum Helvetiorum, tum aliorum, suam doctrinae huiusce descriptionem propositurus quinis horis docebit.

3) *Processum civilem communem* Martini compendio usurus quinis horis tradet.

I. Schauberg, Dr.

1) *Doctrinam iuris philosophicam* sive *ius naturae* quinis horis illustrabit.

2) *Ius gentium universale et Europaeum* quinis horis docebit, Klüberi compendio usurus.

3) *Processum criminalem communem Germanicum* ratione habita ordinis iudicialis publici ac forensis quinis item horis tradet.

III. ORDINIS MEDICORUM:

1. Professorum ordinariorum:

I. L. Schoenlein, Dr., p. t. Decanus.

1) *Pathologiam* et *therapiam specialem* singulis diebus hora 11—12 tradet.

2) *Clinicen medicam* singulis diebus hora 9—10 moderabitur.

C. F. de Pommer, Dr.

1) *Physiologiam hominis* diebus Lunae, Martis, Mercurii, Veneris et Saturni hora 11—12 docebit.

2) *Nosologiam* universalem iisdem diebus hora 3—4 tradet.

2. Professorum extraordinariorum:

H. Locher-Zwingli, Dr.

1) *Chirurgiam* hora vespertina 6—7 docebit.

2) *Volnera quomodo obliganda sint*, horis postea constituendis demonstrabit.

3) *Clinicen chirurgicam* quotidie hora 8—9 moderabitur.

I. C. Spoendli, Dr.

1) *Artem obstetriciam theoreticam* diebus Lunae, Martis, Iovis et Saturni hora 10—11 tradet.

2) *Exercitationes practicas* in phantomate diebus Lunae hora 4 et Iovis h. 3 instituet.

3) *Clinicen obstetriciam* diebus Martis et Veneris hora 4 moderabitur.

H. Demme, Dr.

1) *Anatomiam theoreticam* singulis diebus hora 10—11 tradet.

2) *Exercitationes anatomicas practicas* quotidie per 5 horas moderabitur.

3) *Anatomiam chirurgicam articulorum atque luxationum* ternis horis docebit.

I. Locher-Balber, Dr.

1) *Pharmacologiam specialem* diebus Lunae, Martis, Iovis et Veneris hora matutina 7—8, Vogtii compendium pharmacodynamicae secuturus, docebit.

2) *Ophtalmologiam* diebus Martis, Mercurii et Saturni hora 2—3 secuturus Beckii compendium tradet.

3) *Examinatorium pharmacologicum* cupientibus offert.

C. Loewig, Dr. Med., Prof. extr. ordinis philosophorum.

Pharmaciam suis ex commentariis et ratione praecipue Pharmacopoeae Borussiacae habita, iunctis insuper exercitationibus practicis diebus Lunae, Martis, Iovis et Saturni hora 9—10 docebit.

5. Privatim docentium:

M. Hodes, Dr., Prosector.

1) *Encyclopaediam et methodologiam medicinae* ternis horis docebit.

2) *Osteologiam et syndesmologiam* binis horis exponet.

I. Finsler, Dr.

1) *Pharmacognosin doctrinamque de materiis medicis rudibus* quaternis horis tradet.

2) *Artem formulas medicas componendi* una per hebdomadem hora docebit.

3) *Toxicologiam* binis horis tradet.

C. Meier, Dr.

Volnera quomodo obliganda sint, horis postea constituendis demonstrabit.

de Muralt., Dr.

Cursum operationum in oculis faciendarum una cum exercitationibus in phantomate binis horis postea constituendis instituet.

IV. ORDINIS PHILOSOPHORUM:

1. Professorum ordinariorum:

L. Oken, Dr. Med. et Phil., p. t. Rector.

1) *Philosophiam naturalem*, suum compendium secuturus diebus Lunae, Martis, Iovis et Veneris, hora 12 — 1 docebit.

2) *Historiae naturalis* priorem partem, suum compendium in scholarum usum conscriptum secuturus diebus Lunae, Martis, Iovis et Veneris hora 4 — 5 tradet.

E. Bobrik, Dr.

1) *Psychologiam* diebus Lunae, Martis et Veneris hora 8 — 9 privatim docebit.

2) *Metaphysicen* iisdem diebus hora 9 — 10 privatim tradet.

3) *Historiam philosophiae mediae ac recentioris aetatis usque ad Kantium* diebus Lunae, Martis, Iovis et Veneris hora 3 — 4 privatim enarrabit.

4) *Gualteri Scottii* poëma, quod inscribitur *Lay of the last ministrel*, quaternis horis interpretabitur.

F. Hitzig, Dr. Theol. et Phil. Prof. O. ordinis Theologorum.

1) *Grammaticam comparativam cunctarum dialectorum Semiticarum* ternis horis tradet.

L. de Loew, Dr. I. U. Prof. O. ordinis ICtorum.

1) *Taciti Germaniam* binis horis explicabit.

2) *Historiam artis dramaticae recentioris* enarrabit.

2. Professorum extraordinariorum:

I. C. Orelli, Dr., p. t. Decanus.

1) *Historiam eloquentiae civilis apud Graecos et Romanos*, diebus Martis hora 9 — 10 et Veneris 4 — 5 enarrabit.

2) *Virgilii Aeneidem*, proposita Editione Heyniowagneriana, critice tractabit, diebus Lunae hora 4 — 5 et Mercurii 8 — 9.

3) *Livii* librum XL. cum sequentibus ita exponet, ut simul Latine loquendi exercitationes instituturus sit, diebus Martis hora 4 — 5 et Saturni 11 — 12.

I. Hottinger, Dr.

1) *Historiam Helvetiae* inde a medio seculo XVIII. usque ad novissima tempora enarrabit ter singulis hebdd. hora vespertina 5 — 6.

2) *Libros ad Helvetiae historiam pertinentes* item ter singulis hebdd. hora 10 — 11 enumerabit et diiudicabit.

R. Schinz, Dr.

1) *Physiologiam comparativam* diebus Lunae, Martis, Mercurii et Iovis hora 2 — 3 docebit.

2) *Anthropologiam* in usum eorum, qui disciplinis medicis operam non dant, quinis horis postea constituendis illustrabit.

3) *Zoologiam* animalium vertebris haud praeditorum diebus Lunae, Martis, Mercurii, Iovis et Veneris hora 8 — 9 tradet.

C. Loewig, Dr.

Vide in Indice Ord. Med.

I. G. Baiter, Dr.

1) *Aeschinis orationem in Ctesiphontem* ter per hebd. hora 7 — 8 interpretabitur.

2) *Thucydidis libros III. et IV.* binis horis postea constituendis privatissime explanabit.

3. Privatim Docentium:

H. Escher, Dr., Prof. Gymn.

Encyclopaediam disciplinarum historicarum bis per hebd. hora 2 — 3 tradet.

I. L. Raabe, Prof. Gymn.

1) *Computum differentialem et integralem* quater per hebd. hora 3 — 4 docebit.

2) *Exercitationes ex mechanica analytica* bis per hebdd. hora 3 — 4 instituet.

L. Ettmueller, Dr., Prof. Gymn.

1) *Litterarum Germanicarum historiam* quater per hebd. hora 11 — 12 enarrabit.

2) Poema Germanicum, quod inscribitur *Renardus volpes*, ex Hoffmanni editione bis per hebd. hora 11—12 interpretabitur.

A. G. Winckelmann, Dr., Prof. Gymn.

1) *Antiquitatum Graecarum* priorem partem, quae res sacras complectitur, binis horis tradet.

2) *Plauti Amphitruonem* bis per hebd. hora 2—3 interpretabitur.

3) *Exercitationes seminarii philologici* privatisime moderabitur.

C. Graeffe, Dr., Prof. Scholae polytechn.

Mathesin puram diebus Lunae, Martis, Mercurii, Iovis et Veneris hora 3—4 docebit.

F. de Ehrenberg.

1) *Artem vias muniendi, pontes construendi aquasque coërcendi* quaternis horis tradet.

2) *Architecturam et oppidis et ruri convenientem* item quaternis horis docebit.

B. Hirzel, Dr., Ephorus alumnorum.

1) *Grammaticam linguae Sanscriticae* docebit; postea poëma epicum *Ramajana* diebus Lunae et Iovis hora 11 — 12 interpretabitur.

2) *Sacuntalae actum quartum* die Martis hora 11 — 12 exponet.

3) *Antiquitates Indicas* diebus Lunae, Mercurii et Veneris hora 5 — 6 illustrabit.

4) *Comparationem declinationum Graecae, Latinae et Sanscriticae*, etiam eorum in usum, qui Sanscritice nesciunt, diebus Martis et Saturni hora 5 — 6 instituet.

C. F. I. Froebel, Dr.

Oryctognosin diebus Lunae, Martis, Mercurii et Veneris hora 11 — 12 docebit.

S. Voegelin, V. D. M.

Aeschyli Septem duces adversus Thebas et *Persas* quater per hebd. hora 9 — 10 interpretabitur.

I. Eschmann.

Astronomiam theoreticam ternis horis tradet.

C. Hardmeier.

Litterarum Germanicarum historiam binis horis enarrabit.

F. Gidoni.

1) *Historiam litterarum Italicarum inde a seculo XVI.* Italico sermone usurus ternis horis exponet.

2) *Historiam temporum recentiorum*, Gallico sermone usurus itidem ternis horis enarrabit.

A. T. N. Sangrain, Eques Legionis Honoris Virtutis.

Roucheri poëma Gallicum, quod *Menses* inscribitur, explanabit.

O. Heer, V. D. M.

1) *Entomologiam* ternis horis postea constituendis privatissime tradet.

2) *Conspectum familiarum*, in quas *plantae* describuntur, diebus Mercurii et Saturni hora 3—4 publice exhibebit.

A. Escher von der Linth.

Geognosin horis postea constituendis docebit.

A. Mousson.

Physicen theoreticam atque *experimentalem* ternis horis postea constituendis tradet.

Francogallicae linguae scholas offert I. Zimmermann. Artes docebunt: Arma tractandi I. G. Ludwig: Equitandi C. Schnabel et C. Ost: Delineandi C. A. Müller. Linguas recentiores et musicas artes discendi ampla est opportunitas.

PUBLICA DOCTRINAE SUBSIDIA.

Instituto medico-clinico praeest P. Schoenlein; chirurgico-clinico P. Locher-Zwingli; maiocomio P. Spoendli; museo anatomico P. Demme. Praesto est apparatus instrumentorum ad physicam et mineralogiam pertinentium et museum zoologicum, neque deest hortus botanicus. Seminarii philologico-paedagogici exercitationes moderabitur Dr. Winckelmann.

Bibliotheca civium Turicensium diebus Lunae et Iovis h. II—IV; bibliotheca naturae scrutatorum diebus Lunae et Veneris h. IV—V; bibliotheca societatis medicorum diebus Martis h. XI—XII et Saturni h. II—IV; bibliotheca societatis iureconsultorum diebus Martis et Veneris h. I—II publicis usibus ita patebunt, uti singularum leges atque instituta concedunt exposita in lectionum indice Germanico.

Speculae astronomicae praeest I. Eschmann.